







Vogit, is a science ~~the~~ that provide for the <sup>method</sup>  
searching after truth and expounding it to  
them.



B R E V I U S C U L A  
I N T R O D U C T I O

A D

L O G I C A M :

Studioſæ J U V E N T U T I S

(in Academiâ in primis *Glaſguensi*)

Philosophica Studia aufſpicantis

Primis Usibus accommodata.

---

*Editio Secunda, ab Auctore recognita & emendata.*

---



---

E D I N B U R G I :

Typis Joannis Mosman & Sociorum, Impensis Joannis Paton Bibliopolæ : Et proftant venales in Officinâ ejus in Areâ Parliamentariâ. 1722.

No 91 St. Matthews Bay  
the United Steeple  
Church Easton Maine

NATIONAL LIBRARY OF  
SCOTLAND

## L. S.

**D**E Scopo hujus Opusculi non est opus multis differere: cuivis enim facile potest lique-re, non aliud hic agi, quam ut brevi & simplice institutione, ad Logicam penitus cognoscendam, atque, ejus beneficio, ad alias scientias felicius addiscendas, Tyronum animi präparentur. Hoc intuitu, aliquot abhinc annis, cum Systematum manuscriptorum usus, qui moeno Docenti-um & Discentium incommodo, nimis diu obti-nuerat, ex Academia nostra exulare inciperet; ne in ipso ingressu studii Philosophici, ingrato & dudum exoso labore Juventus Academica pro-telaretur, brevi & stylam Introductionem ad Lo-gicam, Typis edendam, curavi: quam nunc de-mum, prioris Editionis distractis omnibus Exemplaribus, ad incudem denuo revocatam, & variis in partibus castigatam, nonnullis etiam auctam, in gratiam in primis Novitiorum Discipulorum, jam proxime sequuturis docendi vi-cibus, si Deus dederit, disciplina mea tradendo-rum, iteratae permitto Editioni.

Utrobius operam dedi, ut non tantum vulne-ria Praecepta (eorum certe, quæ hic tradi scunt, utilissima quoque) Tyronibus propincentur;

**E**orum rationes, modo, quoad fieri possit, eorum  
captui accommodato, enucleentur; quo ab ipso  
limine assuecant intelligere, non in mera libro-  
rum lectione, imo nec in eorum, que legunt, in-  
telligentia & recordatione, Philosophie studium  
consistere; sed in illo praeципue *Judicij* & *Ra-  
tionis exercitio, quo, principiorum evidentia  
perspecta, & Conclusionum ex iis deducitarum,  
agnita necessaria consequentia, suis quasi oculis  
verum cernant. Huc facit, quod, praefer morem  
in hujusmodi compendiis plerisque usurpatum,  
non tam verborum, & variarum loquendi for-  
marum, quam variorum, qui iis subsunt, modo-  
rum cogitandi, discrimina, ob oculos habuerint,  
& a dissentibus praecipue attendi velim: Huc  
etiam, quod Regularum de *Affectionibus Propo-  
sitionum relativis*, de *legitimis Syllogismorum  
formis*, &c. tradi solitarum, breves Demonstra-  
tiones (a plerisque ad ampliorem Tractatum  
remissas) hic loci minime omittendas censuerim;  
præsertim cum ha Regule (ut de Trigonometricis  
recte observavit Vir Cl. Joannes Harris) faci-  
lius addisci queunt cum Demonstrationibus,  
quam sine iis: Memoriæ certe nunquam reūius  
consultitur, quam vocato in subsidium *Judicio*.*

Non tamen hujus *Introductionis* conscribendo  
finis postulabat, ut de causis & remediis, tum  
Obscuritatis & Confusionis in Ideis, tum Erroris  
in *Judiciis*; de methodo in veri Investigatione  
& Demonstratione observanda; de variis Argu-  
mentorum generibus, ad varias rerum cognoscen-  
darum naturas adaptandis, & similibus; qua par-  
tem Logica faciunt longe utilissimam, & que ac-  
pul-

v

pulcherrimam, & quibus idcirco in ubiōre Logicae institutione, praecipue est immorandum, specialius quidquam hic dicerem: ad ~~sc.~~ ista suo loco discenda, satis parati accedant Tyrones, elementari hac, de Propositionum & Syllogismorum formis, Doctrina prius instructi; quam qui temnunt, aut prætereundam suadent, eos Juventutis, in quibusunque scientiis addiscendis, profectui pessime consulere, res ipsa probat.

In Notulis equidem, quas hic illuc obiter subjunxi, varia reperiuntur, (principue ad n. 71, 156, 161, 172, 178.) que videri possunt difficultioris & subtilioris indagini, quam ut Tyronebus in hac prima Institutione inculcari debeant: Ea idcirco ad notas retuli, in gratiam principue proiectiorum, quibus per ea præbetur occasio, quadam subolfaciendi, quibus technica hac Logica pars, magis quam hactenus, excoli posset; & qua, si forte ad Praxin minus utilia judicarentur, (quod aeternus pronunciare nolim) tamen, ob ipsam Theoriae Elegantiam, Mathematicis Ingeniis haud prorsus displicerent.

Addidi in ultimo capite, Doctrinam de Praxi Logica; non quod eam putem, cum precedentibus, in ipso studii Philosophici initio statim inculcandam; sed quod ea, ad certa exercitia, que Academicis suo loco sunt prescribenda, sit utilis; nec tamen in aliis libris, qui in omnium hodie manibus teruntur, reperienda: de hac interim parte minus quam de ceteris solleitus, ea que ab aliis tradita principue placebant, paucis tantum mutatis vel additis, securius exscripti.

Quod

Quod ad Emendationes in hac nova editione factas, earum pleraque hic collineant, ut praecipua quæque Doctrinæ capita, Tyronibus, ad quemvis oculi ietum, obvia magis atque conspicua reddantur; quo ab iis vestigia sua relegentibus, facilius notari, ac Memoria imprimi queant.

Vale, Lector, & opellam Juventutis utilitati unice datam, boni consule; cuius (ut egregii cuiusdam Viri verbis utar) meritò tantus esse favor debet, ut, in ejusdem gratiam suscepta opera, etiam ingenii & splendoris non capax, nemine indigna sit judicanda.


Coll. Glasg. Oct. i.  
1722.

G. C.

**E R R A T A**, quæ ob necessariam Auctoris absentiā irrepserunt, paucula, sic corrigat æquus Lector.

Pag. 11. l. 14, 15. lege *Technologematisbus*. Pag. 14. l. 24. lege n. 44. P. 19. in Notā. l. 8. lege *Vulgo*. P. 20. in Notā, lin. penult. lege *procedant. que, &c.* P. 27. in Notā, l. ult. lege *Notā*. P. 34. l. 27. lege *intermixta*. P. 36. l. 15. pro *Sectione*, lege *Capite*, & adde n. 41, 42, 44, 46, 47. Pag. 37. l. 25. lege *substituerit*. P. 59. l. 22. lege *obyerfiantur*.

B R E V I-



BREVIOUSCULA  
INTRODUCTIO  
AD  
LOGICAM.

**L**OGICA, est *Scientia, quæ Veri cognoscendi, ejusque aliis exponendi, rationem commonstrat.* Cum itaque solo judicandi actu, si propriè loquamur, verum attingere, aut ab eo deviare, dici possimus; manifestum est, in ea Disciplina hoc præcipue spectari, ut vera, &c, quo usque fieri potest, certa, de iis quæ cuique sunt cognoscenda, formentur Judicia. Quia tamen, ad Judicium quodlibet de rebus ferdum, prævia requiritur earum Apprehensio; & quia, ab hujus rectitudine, haud parum, illius, tum Veritas, tum Certitudo, pendet; duo fere sunt cogitandi modi, qui specialem Logicæ directionem postulant, *Apprehensio, sc. & Judicium.*

## C A P U T I.

## De Apprehensione.

§ I. *De Natura Apprehensionis. De Idea, ejusque Comprehensione & Extensione.*

<sup>3</sup> APPREHENSIO, est *Aetus Menti*, quo rem nude percipit, sive de ea simpli-  
citer cogitat, nec affirmans de ea, nec negans, nec appetens eam, nec fugiens. Rei in mente repræsentamen, cuius beneficio percipitur,  
<sup>4</sup> vocatur IDEA (*a*).

Res, quæ per Ideam menti repræsentatur,  
<sup>5</sup> illius *Objectum* dicitur.

Vocabulum detique aut vocabulorum com-  
plexio, quæ idea, vel objectum, ut per eam  
<sup>6</sup> repræsentatum, significatur (ut *Triangulum*,  
*Vir bonus*, &c.) dici solet (quam ob causam,  
dicetur infra, \* n. 38.) *Terminus*; sed, di-  
stinctionis causa, *Vocalis*; cum ipsa Idea di-  
catur quandoque *Terminus mentalis*; ut &  
res repræsentata, nonnunquam, *Terminus ob-  
jectivus*.

<sup>7</sup> Ideæ præcipue distinguuntur (ut alias ea-  
rum differentias hic non attingam) vel ratione  
*Comprehensionis*, id est, unius vel plurium  
repræsentaminum quæ in se includunt; vel  
ratione

(a) Quomodo Idea ad ipsum apprehendendi actum  
se habeat, curiosius inquirere, non est Logici sed Pneu-  
matici Fori: quæ interim de Ideis in Logica tradi-  
lent, haud incommodo sensu de utrovis possunt intel-  
ligi.

ratione *Extensionis*, id est, unius vel plurium  
objectorum quæ repræsentant.

Priore respectu, Idea vel est *Simplex*, vel 8  
*Complexa*. *Simplex* Idea est, quæ in plures  
diversas Ideas resolvi nequit; cujusmodi  
sunt Ideæ, *Entis*, *Potentie*, *Cogitationis*,  
&c. *Complexa* contrà, quæ comprehendit plu- 9  
res diversas ideas, in quas resolvi potest;  
qualis est, Idea *Spiritus*, id est, *Rei poten-  
tis cogitare*.

Posteriore respectu, Idea vel est *Singularis*,  
vel *Universalis*. *Idea singularis* est, quæ 10  
unum solum objectum directe (b) repræsen-  
tat; ita ut singulis plurium vere tribui non  
possit: cujusmodi sunt Ideæ, *Alexandri*, *Bu-  
cephali*, *bujus Arboris*, &c. *Universalis* 11  
contrà est, quæ plura directa objecta repræ-  
sentat indiscriminatim; ita ut singulis eorum  
vere possit applicari: quales sunt Ideæ, *Homi-  
nis*, *Equi*, *Arboris*, &c.

Hic notandum est, Ideas, e singularibus,  
vel minus universalibus, fieri universaliores,  
ope *Abstractionis*; qua, prioris comprehen- 12  
sionis aliqua parte amissa, evadunt simpliciores:  
eisdem contrà, ex universalibus fieri sin-  
gulares, vel minus universales, per *Composi-  
tionem*; qua, sciz. adjecta aliqua idea ad ea-

(b) Dico, *directe*, quia singularis Idea, potest repræ-  
sentare unam rem, ut conflatam ex pluribus, vel alio  
modo relatam ad plura; de quibus tamen singulis,  
non potest in recto, sed in obliquo tantum casu, præ-  
dicari. Vide infra dicenda de Propositione.

rum comprehensionem, evadunt complexiores.

Si ex idea *Hominis*, Ex. gr. id est, *Animalis rationalis*, rejiciatur idea <sup>et</sup> *rationalis*, restabit Idea *Animalis*, simplicior, sed simul universalior.

Si contra, eidem Ideæ *Hominis*, adjiciatur consideratio Regionis in qua quis erat natus, vel alterius cuiuslibet circumstantiæ, aut qualitatis, formabuntur Ideæ, *Hominis Scoti*, *Angli*, *Dœti*, *Probi*, aliæve similes, complexiores quidem, sed minus universales.

<sup>13</sup> Hinc nata est vulgaris illa Regula de Ideis subordinatis, *Quo major est Comprehensio, eo minorem esse Extensionem, & contra.* Atque ejusmodi Scalæ, in quibus Idea quæque superior, est simplicior, ac universalior; quæque vero inferiores, sunt complexiores, minusque universales; vocantur vulgo *Categorie*, sive *Prædicamenta*.

### § II. De Divisione, tanquam evolutione Extensionis Ideæ universalis.

<sup>14</sup> EXTENSIO Ideæ universalis evolvitur per *DIVISIONEM*; quo nomine hic intelligitur, *Specialis Enumeratio idearum, tota sua extensione differentium, quibus datæ universalis ideæ extensio, ad amissim exhaustur.* Sic *Animal* dividitur in *Hominem & Brutum*; *Brutum* rursus in *Quadrupedes, Volucres, Pisces & Reptilia*. Idea universalior, quæ dividitur, vocatur hic *Totum*; Idæ

Ideæ vero minus universales, in quas dividitur, appellantur *Partes*.

Ab hac autem, de qua diximus, Ideæ universalis divisione, plurimum differt *Divisio Rei*; quæ est, *Specialis enumeratio rerum totaliter diversarum, quibus datae alicuius rei compositæ constitutio absolvitur*: quo pacto *Homo* dividitur in *Animam & Corpus*; & hoc rursus in varia membra.

Ad utrumque genus pertinént, sed diverso sensu, ex allatis definitionibus facile intelli-gendo, dñe maxime necessariæ, quæ vulgo inculcari solent,

#### R E G U L .

- I. *Partes debent inter se opponi.* 16
- II. *Partes simul sumpta debent esse aqua-les Toti.* 17

#### § III. De Definitione, tanquam evolutione Comprehensionis Ideæ complexæ.

SIC U T universalis ideæ *Extensio*, per *Divisionem*; ita complexæ cujusvis ideæ *Comprehensio*, per *DEFINITIONEM*<sup>18</sup> evolvitur: quæ hic nobis est, *Oratio explicans ideam complexam, dato nomini respondentem, per plures voces conjunctas, quibus significantur & simpliciores ideæ illam constituentes, & ordo quo ad eam constituendam concurrunt.*

Definitionis usus inde oritur; non quòd quisquam, dum complexam ideam menti habet obversantem, possit simul ejus comprehensionis (quemadmodum Extensionis quidem

dem potest) non esse conscius; sed quod, cum Ideæ satis complexæ, simplicibus vocabulis, ob sermonis compendium, notari soleant; eveniat saepiuscule, vel alios non intelligere, quid nos per hanc aut illam dictiōnem significatum velimus; vel etiam nos ipsos non satis accurate reflectere, ut eidem vocabulo, eandem determinatam ideam, in mente perpetuo alligemus.

Utrique huic incommodo, obviam itur per 20 *Definitionem*; quâ propositi nominis significatio, tum aliis declaratur, tum apud nos ipsos certius determinatur; dum illos monemus, simulque nostræ ipsorum memoriarum mandamus, eandem simplici isti nomini subesse ideam complexam, quæ per plures voces in definitione luculentius explicatur. Ita, V. G. *Spiritus* definitur, quod sit, *Substantia cogitans*; *Virtus*, quod sit, *Habitus inclinans ad actus moraliter bonos* (c).

Ex his patet, ut definitio eum cui adhibetur usum præstet, hoc est, ut Ideam dicto nomini respondentem determinet, omnino prius intel-

(c) Si quis dixerit, *Definitionem* hic a nobis explicatam, esse *Idealem* duntaxat, vel potius *Nominalem*; non ideo necessarium docam, aliam ab hac diversam, *Definitionem Realem* inculcare; donec *Reales rerum Essentias*, ab *Idealibus seu Nominibus* *Essentiis* diversas, explicare novero. Nec dubito, quin omnibus Disciplinis multo rectius consultum foret, si cujuscunque generis Scriptores, Mathematicorum hac in parte *expres:as* imitati, nullam usquam adferrent definitiōnem, quam nollent pro ipso nomine substitui.

intelligi debere, quæ idea per ipsa definitio-  
nis verba exprimatur. Ad cujus rei intelli-  
gentiam cum spectet, & simpliciores ideas,  
variis vocabulis definitionem ingredientibus  
alligatas, nosse, & illarum habitudinem, quæ  
horum constructione exprimitur, percipere ;  
ita formanda est definitio, ut horum utrum-  
que magis sit in promptu, quam est, absque  
definitionis subsidio, intelligentia significatio-  
nis Nominis, cui definitio applicatur.

Atque hoc ipsum est quod innuit palmaria,  
& ferme unice necessaria definiendi Regula,

*Definitio debet esse clarior definito.*

Salva autem perspicuitate, *Eo melior censemur*<sup>21</sup> *Definitio, quo brevior est*, atque adeo me-  
moriæ minus onerosa : Quapropter non solum  
vitandæ sunt omnes voces superflueæ (quales  
sunt, quarum significatio in aliis definitionis  
partibus satis includitur, nisi quatenus gram-  
maticæ constructionis ratio eas interponi exi-  
git) sed insuper, quo definitio vocabulis con-  
stet quam paucissimis, assumenda sunt ista,  
quæ significant, ideas proxime simpliciores eā  
ipsa, quæ definienda proponebatur ; in pri-  
mis vero unum (si inveniri possit) quod signi-  
ficat ideam, in serie categorica proxime supe-  
riorem : Hæc autem idea, una cum nomine  
quo significatur, vocari solet *Genus* ; ut in <sup>22</sup> *Spiritus* definitione paulo ante adducta, *Sub-stantia* : Quicquid vero ei limitandæ in de-  
finitione additur, nuncupatur *Differentia* ; <sup>23</sup> ut in eadem definitione, *Cogitans*. Atque  
respectu

respectu harum partium, integra idea complexa, una cum vocabulo quo ea significatur, dicitur *Species*; sed, harum quidem respectu,  
 25 *Suljicibilis*: Quod si vero nullam aliam universalem classem sibi subjectam habeat, cuius sit genus; dicitur, singularium respectu,  
 26 *Species predicibilis*.

---

## C A P U T II.

*De Iudicio in Genere, deque Iudicio  
immediato in Specie.*

¶ I. *De Natura Iudicij; deque Iudicij  
immediati & mediati Discrimine.*

27 **JUDICIUM** est, *Actus Menti*, quo de duabus ideis, inter se collatis, fert sententiam; quod sc. ad Identitatem attinet, vel Diversitatem, objectorum per eas representatorum.

Cum vero ista idearum inter se collatarum habitudo, vel ex immediata ipsarum juxta positione (citra tertiaz tuuslibet interventum) vel beneficio unius pluriumve idearum intermediarum, quibuscum utraque propositarum idearum confertur, innotescat; Iudicium, aliud est *Immediatum*, quo fertur sententia, de ideis immediate inter se collatis;  
 28 aliud *Mediatum*, quo fertur sententia de ideis

idēis inter se collatis, per interventū alie-  
cujus tertiae, vel etiam plurium, debito or-  
dine inter se dispositarum.

Judicium mediatum, alio nomine, dicitur <sup>30</sup>  
*Discursus*; unum enim idemque est, unam  
mentis sententiam ex aliis deducere; atque  
unam ferre propter alias, sive intuitu alia-  
rum: Sicut igitur sub *Judicij* nomine, de  
*Discursu*, tanquam unā ejus specie, est agen-  
dum; ita de Judicio in genere quæ in hoc  
Capite dicuntur, ipsi etiam Discursui, quatenus  
hic duarum extremarum Idearum habi-  
tudinem respicit, convenire sunt intelligenda.

§ II. *De Propositione affirmante, negante,  
utriusque subiecto, prædicato.*

IN uno quovis Judicio, præcipue spectari  
solet, quid per illud definiatur, sive quæ dua-  
bus datis ideis habitudo intercedere statua-  
tur: unde hoc saepe verbis enunciamus, dum  
non significamus, utrùm immediate an medi-  
atè, ista Idearum habitudo nobis innotescat,  
multò minùs cuius medii beneficio.

Oratio autem, qua significatur Judicium <sup>31</sup>  
præcise consideratum, quatenus duarum da-  
tarum Idearum habitudinem definit (1), di-

B

citur

(1) Quippe Oratio quæ exprimit Judicium medi-  
atum, quæ tale, non est mera Propositione, sed Argu-  
mentatio: nec tamen satis commodè ad Orationes  
Judicia immediata exprimentes, *Propositionis* nomen  
restringitur; cum reclamat obvius & omnibus recep-  
tus hujus Vocabuli usus.

citur vulgò PROPOSITIO; sed, distinctio-  
nis causa, *Vocalis*: Ipse enim judicandi actus  
(præcise, ut dixi, consideratus, atque adeò  
quousque Propositione vocali significatur) dici  
32 etiam consuevit *Propositio*, sed *Mentalis*.  
Qui posterior vocis usus, licet minus forte  
proprius, nec vulgaribus Logicis adeò fre-  
quentatus, in sequentibus in primis est spe-  
ctandus: Quæ enim de Propositione, & vulgò  
traduntur, & nobis infra sunt tradenda, ple-  
raque ipsi Judicio, sive Propositioni mentali,  
præcipue & primario convenient; Propositi-  
oni vocali tantum secundario, quatenus hæc il-  
lius est signum: paucula quæ ad Vocalem  
præcipue pertinent, res ipsa satis indicabit.

Propositio, ratione Formæ, seu (ut nonnullis dicitur) *Qualitatis Internæ*, dividitur in  
*Affirmantem* & *Negantem*. Mens enim in  
judicando fert sententiam de duabus ideis,  
33 vel eas copulando, tanquam inter se conve-  
nientes, id est, tanquam ejusdem objeceti re-  
presentationes, quæ Propositio dicitur *Affir-  
mans*; ut, *Mens humana est immortalis*:  
vel eas ab invicem separando, tanquam dis-  
crepantes inter se, id est, tanquam non ejus-  
dem objeceti representationes; quæ Proposi-  
34 tio dicitur *Negans*; ut, *Mens humana non  
est materialis*.

Hic notandum est, e duabus ideis, de qua-  
rum habitudine, mens in judicando fert sen-  
tentiam, unam esse quasi substratam (utpote  
ad quam advocatur altera, ut cum eo confe-  
35 ratur) & appellari vulgo *Subiectum*; aliam  
esse

esse quasi Accessoriam (ut quæ cum priori illa conferenda accessit) & dici solere *Predicatum*: sic in utraque Propositione supra assignata, *Mens humana* est subjectum; in affirmante, prædicatum est *Immortalis*, in negante, *Materialis*: Quod si *Subjecti* & *Predicati* diversæ notiones explicatione hic allata non satis discriminari videantur; certe ex utriusque proprietatibus modo assignandis, discrimen (in illis saltem Propositionibus, in quibus est alicujus momenti) aperte satis intelligetur.

Hic interim notamus, appellationes *Subjecti* & *Predicati* (quod in omnibus ferè Technomologematisbus Logicis usu venit) non tantum 37  
ipsis ideis, quæ inter se conferuntur, sed & analogicè, vocabulis, quibus istæ ideæ significantur, tribui solere; ita tamen ut tollendæ ambiguitatis causa (quod de *Termini* & *Propositionis* nominibus supra notavimus) addi possint Epitheta *Mentalis* & *Vocalis*.

Notandum porro, & Subjectum & Prædicatum, uno nomine appellari vulgo, *Terminos* 38  
Propositionis; & quidem *Mentales*, aut *Vocales*, prout de ipsis ideis agitur, aut de vocabulis quibus significantur. Istius autem Appellationis ratio est, quod in propositionis vocalis forma simplicissima & maximè regulari, primum locum occupet subjectum, & prædicatum, ultimum: His autem interpolatur verbum substantivum, sive purum, sive negatione affectum; quod vulgo dicitur *Copula*; quodque ipsum affirmandi aut negandi

actum directius significat. Ut autem hæ partes non raro inter se transponuntur, ita 40 sœpissime usu venit, ut *Copula* eodem verbo includatur cum *Prædicato*; ut *Petrus legit*, id est, *est legens*.

41 *Prædicatum Propositionis negantis semper sumitur in tota sua latitudine*, id est, pro omnibus Objectis, quæ repræsentare potest, ita ut unumquodque eorum negetur esse idem, ac est illud quod repræsentatur per subjectum: Ex, gr. in prius memorata propositione negante, *Mens humana non est materialis*; negatur Mens humana esse eadem cum ulla (id est, asseritur esse diversa ab omni) re materiali; five cœlesti, five terrestri; five tenuiore, five crassiore; five animata, five inanimata.

42 *Prædicatum vero Propositionis affirmantis, si sit idea universalis, non sumitur in tota sua latitudine, saltem positive* (ut unumquodque eorum, quæ per illud repræsentantur, affirmetur esse idem cum eo quod repræsentatur per subjectum) *sed pro aliqua tantum parte sua extensionis*, id est, pro uno aut quibusdam objectorum, quæ repræsentare potest: in prædicta, Ex. gr. Propositione affirmante, *Mens humana est immortalis*; affirmatur mens humana esse eadem cum aliqua re immortali, non vero cum omni: Neque enim asseritur, Mentem humanam esse idem quid, cum D E o, & ANGELIS, qui sunt etiam immortales.

Quinetiam, si contingat Terminos Propositionis affirmantis esse reciprocos (id est, subjectum & prædicatum æque latè patere) non tamen ista reciprocatio in ipsa propositione affirmatur; unde nec in talibus quidem prædicatum distribuitur, sive positive sumitur pro singulis suis objectis (a).

Quod vero diximus de prædicato propositionis affirmantis particulariter accipiendo, ad solas ideas universales pertinet: *Singularis* enim *Idea*, cum extensionem habeat indivisibilem, sumitur ubique in tota sua latitudine.

### § III. De Propositione Universalis, Particulari; Vera, Falsa.

UT CUNQUE Prædicatum propositionis negantis sumatur semper universaliter, prædicatum vero affirmantis (si sit idea universalis) semper particulariter; Subjectum tamen ad has Regulas non adstringitur, sed in utroque genere, aliquando sumitur in tota sua latitudine, aliquando in ejus parte dun-  
taxat: Atque hinc nascitur *Secunda Propositionum Divisio*, qua distinguuntur, ratione Quantitatis, in *Universales* & *Particulares*.

Propo-

(a) Aliud igitur est, licet haec duo Logici plerumque confuderint, Terminum universalem distribui; aliud, eum non restringi: imd posterius etiam Propositionis particularis subjecto convenit, quando ea falso veritate reddi possit universalis.

46 Propositio *universalis*, est, cuius subjectum positive sumitur in tota sua latitudine; ita ut Prædicatum affirmetur, vel negetur, de omnibus & singulis objectis, per subjectum representatis; Ex. gr. *Omnis res cogitans est immortalis*; *Nulla res cogitans est materialis*.

47 Propositio *particularis*, est, cuius subjectum in parte tantum sua latitudinis accipitur; ita ut non asseratur, rem ita se habere in omnibus & singulis rebus, per subjectum representatis. Ex. gr. *Aliqua res cogitans est unita corpori*; *Aliqua res cogitans non est unita corpori*.

48 Quæ sunt vulgares Universalitatis & Particularitatis Notæ, omnibus satis constat. Quod si vero, nulla subjecto apponatur Nota quantitatis, propositio censenda est universalis; ut *Homo est Animal Discipline capax*; licet tales vulgo dicantur *Indefinitæ* (b).

Propositiones etiam *Singulares*, id est, quorum Subjectum est Terminus singularis, ut  
 49 *Petrus est doctus*, annumerandæ sunt universalibus, propter rationem, n. 4. insinuatam. Unde intelligimus, *Universalis*, ubi de Propositionibus est sermo, non opponi *Singulare*, sed tantum *Particulare*; sicut contrà, *Universalis*, ubi de Ideis, aut Terminis, extra Propositionem,

(b) Aliquando non tantum Propositiones indefinitæ, sed & illæ quæ expressam habent Universalitatis notam, sunt moraliter duntaxat intelligendæ: ut, *Omnes Homines que sua sunt curant.*

sitionem, est sermo, non opponitur *Particulare*, sed solum *Singulare*.

Cum igitur *Propositio*, ratione *Qualitatis*, dividatur in duas classes, nec non in totidem ratione *Quantitatis*; propter quatuor *Qualitatis* & *Quantitatis* combinationes possibles, exsurgunt quatuor *propositionum Classes*; 50 nempe *Universales Affirmantes*, quarum Subiectum sumitur universaliter, Prædicatum ve-<sup>51</sup>ro particulariter; *Universales Negantes*, 52 quarum tum Subiectum, tum Prædicatum, su-  
mitur universaliter; *Particulares Affirman-<sup>53</sup>tes*, quarum & Subiectum & Prædicatum su-  
mitur particulariter; & denique *Particu-<sup>54</sup>lares Negantes*, quarum subiectum sumitur particulariter, & prædicatum universaliter. Quatuor istas propositionum classes (quarum exempla paulò superius videre est) eo, quo jam recensuimus, ordine, notant vulgo Logici quatuor hisce vocalibus, *A. E. I. O.* juxta tritum illud Distichon.

*Afferit A, Negat E, verum totaliter ambæ*; 55  
*Afferit I, Negat O, sed particulariter ambo.*  
cujus Artificii usus infra patebit.

Ex dictis liquet, in Propositionibus univer-  
salibus negantibus, & particularibus affirmantibus, parum interesse, utram id earum inter se collatarum, dixeris esse subiectum, vel prædicatum; in universalibus vero affirman-  
tibus, & particularibus negantibus, Subiectum & Prædicatum esse dignoscenda, per Notas, n.<sup>56</sup>

41; 42, 46; 47. assignatas : id est, in illis; ideam quæ universaliter sumitur, in his vero, eam quæ sumitur particulariter, esse subiectum, & alteram esse prædicatum.

57 Notabilis quoque est *Tertia Propositio-*  
num divisio, qua distinguuntur, ratione *Ma-*  
*teria*, id est, rerum circa quas versantur (vel,  
ut aliis placet, ratione *Qualitatis externæ*)  
in *Veras & Falsas*; vel enim res istæ ita se  
habent, quemadmodum afferit propositio, quo  
casu hæc dicitur *Vera*; vel secus se habent,  
58 eaque dicitur *Falsa*: Specialiūs, Propositio  
59 affirmans est vera, si idearum copularum  
objectiona, hic & nunc per eas repræsentata, sint  
eadem; falsa, si non sint. Propositio contraria  
negans vera est, si idearum separatarum ob-  
jecta, hic & nunc per eas repræsentata, non  
sint eadem; falsa, si sint.

#### ¶ IV. *De Propositionum Affectionibus re-* *lativis.*

EX his via sternitur ad relativas *Propo-*  
*sitionum proprietates* breviter explicandas :  
quo nomine præcipue censi solent certæ ha-  
bitudines Propositionum, eosdem terminos ha-  
bentium; sed quantitate, situ Terminorum,  
vel qualitate, differentium; quas certæ eti-  
am inter unius & alterius veritatem, aut fal-  
sitatem, connexiones comitantur. Tres vulgo  
numerantur, *Subalternatio, Conversio, & Op-*  
50 *positio*: in quarum illâ & istâ, cum eadem  
duarum Propositionum servetur qualitas, spe-  
catur

Etatur connexio Veritatis cum Veritate, aut Falsitatis cum Falsitate ; in hac verò, ob mutatam Qualitatem, connexio Veritatis cum Falsitate, aut Falsitatis cum Veritate.

### *De Subalternatione.*

*Propositiones, eosdem Terminos, eodem modo fitos, eandemque Qualitatem, habentes, sed diversam Quantitatem, appellantur Sub-alternae : ut, Omnis Res cogitans est immortalis, Aliqua Res cogitans est immortalis : Nulla Res cogitans est materialis, Aliqua Res cogitans non est materialis.*

Atque cum constet, Ideam quamlibet universalis particulariter sumptam, sub seipsa universaliter acceptā contineri ; non vice versa (unde & in Subalternis, Propositio universalis dicitur *Subalternans*, particularis *Subalternata*) hinc fluunt

### S U B A L T E R N A R U M R E G U L A E.

I. Si *Propositio universalis sit vera, particularis est etiam vera* : atque adeo, si *hec sit falsa, multo magis illa est falsa.*

II. Ex eo quod *particularis sit vera, non sequitur, vi formae, universalis esse veram* ; nec ex eo quod *hec sit falsa, illam esse falsam.*

### *De Conversione.*

Cum porrò, omnis Identitas, ut & omnis Diversitas, sit mutua ; *Transpositio Terminorum, qua neutrius Termini extensio augetur, quæque vulgo dicitur Conversio, Propositionis Veritatem labefactare non potest* : adeoque, si *Propositio data, quæ Convertenda appellatur, sit vera ; Propositio convertens, ea sc.*

in quam illa, secundum legem modò dictam, convertitur, erit etiam vera.

Atqui, Extentio Termini, dum non augetur, potest vel eadem manere, vel minui : 65 hinc Conversio Propositionum, vel est *Simplicem*, in qua eadem utriusque Termini servatur Extensio (c); vel per *Accidens*, in qua alterius Termini Extensio minuitur.

Conversionem simplicem admittunt, Propositiones, in quibus Subjectum & Prædicatum eodem modo sumuntur : hoc est, Universales Negantes ; in quibus utrumque sumitur universaliter ; ut, *Nulla res cogitans est materia : & Particulares Affirmantes*; in quibus utrumque sumitur particulariter ; ut, *Aliqua res cogitans est unita Corpori, Aliquid unitum Corpori est res cogitans*. Atque haec Conversio est reciproca ; id est, Propositio per hanc conversionem emergens, in primò datam rectè vicissim convertitur ; ut per se patet.

69 Universales Affirmantes, quarum Subjectum est Terminus universalis, Conversionem simplicem non admittunt ; quia Terminus qui in Subjecto convertendæ distribuitur, in Prædicato convertentis sumitur tantum particulariter, per n. 42. & cum Terminus qui in Prædicato convertendæ particulariter

(c) Non ignoro aliter vulgo definiri Conversiōnem simplicem : sed haec distinguendi ratio, videbitur, ritè attendentibus, ni fallor, multò concinnior.

lariter sumebatur, non possit in Subjecto convertentis distribui ; hæ, per *Accidens* tantum convertuntur, in eas quæ ex particularium, iis subalternatarum, simplice Conversione emergerent ; quapropter per reciprocam Conversionem restitui non possunt : ut, *Omnis Spiritus est Substantia, Aliqua Substantia est Spiritus.* Sed & Universales Negantes, 70 cum simpliciter convertantur in universales ejusdem Qualitatis ; converti etiam possunt per *Accidens*, juxta primam Subalternationis Regulam, in particulares iis subalternatas.

Ipsæ verò Particulares Negantes, nullam, 71 saltem quæ communi loquendi modo congruit, admittunt Conversionem : quia Terminus qui in Subjecto convertendæ sumebatur particulariter, in Prædicato Convertentis, per n. 41. distribueretur, contrà n. 64. (d.)

C 2

De

(d) Præter Conversionem propriè sic dictam, quam n. 64. definivimus ; datur etiam Conversio *Obliqua*, siue *Relativa* ; quâ, dum relativa idea, quæ erat principalis pars Prædicati. in suam Correlativam vertitur, *Terminus*, qui oblique connotatus fuerat in Prædicato, evadit Subjectum, & prius Subjectum evadit obliqua pars Prædicati ; ut *Alexander erat Filius Philippi*, Er. *Philippus erat Pater Alexandri*. Datur etiam, vulgo Logicorum decantata, *Conversio per Contrapositionem* ; quâ Propositionis Termini in sui mutuò negationes permutantur ; quæque habet locum in universalibus affirmantibus, & particularibus negantibus, iis sc. generibus quæ simplicem Conversionem renuant : ut, *Omnis Vir bonus est amans Patriam* ; Er. quisquis non est

*De Oppositione.*

<sup>72</sup> Quod si duæ Propositiones, idem Subje-  
ctum idemque Prædicatum habeant, sed di-  
versam Qualitatem, dicuntur, latiore saltem  
sensu, *Oppositorum*.

In his, simplicissima species est, *Propositi-  
onum singularium*, quarum una affirmat, al-  
tera negat, idem Prædicatum de eodem Sub-  
jecto singulari: ut, *Petrus est doctus, Petrus  
non est doctus*. Hic, cum per singulare Sub-  
jectum, una eademque res utrobique repræ-  
sentetur; cui Prædicatum vel convenit, vel  
non convenit; nec potest simul convenire, &  
<sup>73</sup> non convenire; harum semper *una est vera,  
& altera falsa*.

<sup>74</sup> Sed & æque *immediata Oppositorum* interve-  
nit, duabus Propositionibus, quarum altera  
affirmat, altera negat, idem Prædicatum de  
eodem Subjecto universalis, in altera univer-  
saliter, in altera particulariter accepto: ut,  
*Omnis Homo est doctus, Aliquis Homo non  
est doctus; Nullus Homo est doctus, Aliquis  
Homo est doctus*. Nam & in his, quod unam  
reddit

*amis Patria, non est Vir bonus. &c.* At *Contrapositio*,  
sub quâ continetur (per n. 86.) & ista *Conditionali-  
uni Conversio*, quâ, ex Negatione Consequentis se-  
qui dicitur Negatio Antecedentis (exempla vide supra  
in Regulis Subalternarum) est reverâ unus Casus *Am-  
plificationis*; de qua vide notam ad n. 154. sed tum in  
*Amplificatione*, tum in *Conversione obliquâ*, ut ratiōne  
procedant quæ sint observanda; non est hujus loci  
fusidū enarrare.

reddit veram, id ipsum præcisè alteram constituit falsam, & vice versa. Quæ autem ita se habent, vocantur *Contradicentes*, de quibus 75 obvia paciter & recepta est

R E G U L A.

*Contradicentes nec possunt esse simul vera, 76  
nec simul falsa.*

Si verò *Terminus universalis*, qui utriusque Oppositarum est *Subiectum*, sumatur in utraque universaliter ; ut, *Omnis Homo est doctus*, *Nihil Homo est doctus*; Propositiones dicuntur *Contrariae*.

Harum si una sit vera ; falsa est, per Reg. 77  
*Contrad. particularis ei contradicens* ; & consequenter magis falsa, per 1 Reg. *Subalter.* universalis cui hæc subalternatur ; quæ universalis cum primo datæ sit contraria ;

I. *Contraria non possunt esse simul verae.* 78

At unius contrariarum falsitas, per Reg. *Contrad.* nihil amplius infert, quam infert veritas particularis ei contradicentis ; hæc autem, per 2 Reg. *Subalter.* non infert veritatem universalis subalternantis, quæ primo datæ est contraria : Itaque,

II. *Contraria possunt esse simul falsae.* 79

Patet interim, *Propositiones*, quarum una 80  
affirmat, altera negat, idem *Predicatum*, de eodem *Subiecto*, in altera, vel utraque, in to-  
ta

*ta sua latitudine accepto, non posse esse simul veras: nec mirum, cum enim Subiectum, in altera pro omnibus suis Objectis acceptum, sumatur utroque pro aliquo saltem eodem Objecto; patet, in his idem affirmari & negari de eadem re; in quo omnis vera Oppositiō, seu Veritatis inconsistentia, sita est.*

Si contrā, *Subiectum universale*, cui idem prædicatum tribuitur & negatur, sumatur in utraque Propositione particulariter; ut, *Aliquis Homo est doctus, Aliquis Homo non est doctus*; quales Propositiones vocantur *Subcontrariae*; cum Subiectum ita sumptum, intelligi possit, in duabus Propositionibus, de Objectis planè diversis (quo in casu Prædicatum non affirmatur & negatur de eadem re) patet, has Propositiones non esse verē & proprie *oppositas*, hoc est, sui mutuò Veritatem, vi formæ, non destruere. Imò, Veritas unius infert tantū falsitatem universalis ei contradicentis; cujus falsitas, per 2 Reg. *Subalt.* non infert falsitatem particularis ei subalternatæ, atque primò datæ subcontrariae. Itaque,

### 82 I. *Subcontrariae possunt esse simul vera.*

At si altera earum ponatur falsa; vera est, per Reg. *Contradiet.* Universalis ei contradicens: unde per 1 Reg. *Subalt.* vera est huic Subalternata particularis, quæ primò datæ est Subcontraria. Igitur,

II. Subcontraria non possunt esse simul <sup>83</sup> falsa.

§ V. De Propositionibus Compositis, Complexis, &c.

PRÆTER hanc, quam hucusque supposuimus, simplicem & regularem propositionum formam ; plures aliae a Logicis recenseri solent, atque inde designatæ totidem diversæ propositionum classes, quas *Compositas*, aut *Complexas*, vocant : quæ tamen omnes, vel 1. sunt ejusmodi, ut *quæque earum non* <sup>84</sup> *sit una Propositione, sive unum Judicium in Mente, sed plura, una oratione junctim prolatæ* : vel 2. *re ipsa sunt in Mente simplices Propositiones* ( licet Terminis constantes paulò complexioribus ) queis unum Prædicatum de uno Subjecto affirmatur, vel negatur ; *sed quæ crypticis quibusdam formulæ* ( in quibus verum Subjectum & verum Prædicatum non ita liquidò se produnt ) *ob sermonis compendium enunciantur.*

Ad priorem classem referimus, omnes Propositiones *Copulantes*, ut *Petrus & Paulus legunt*, i. e. *Petrus legit & Paulus legit* ; & quæcunque *Copulantum vim* habent ; hoc est, quæ ita conjungunt duas, vel plures, propositiones, ut singularum veritatem afférant ; *sive singularum verba in iis disertè continentur, sive altera in aliqua particula involvantur* : quo pertinent propositiones, quæ dicantur

tur *Causale*, *Adversativa*, & *Exclusiva*: de quibus, si quid amplius in hac primâ Institutione sit dictu necessarium, id viva voce tradendum relinquimus.

Ad posteriorem classem (earum scilicet quæ sunt in mente simplices propositiones, licet simplice & regulari formâ non sint enunciatae) spectant in primis, Propositiones 86 *Conditionales*; qualis est hæc, *Si Deus est, Mundus regitur Providentia*. Hujusmodi propositiones, licet duarum quasi materiam continent (quarum illa quæ supponitur, dicitur *Antecedens*, quæ verò ex illa supposita sequi asseritur, nuncupatur *Consequens*) nec hujus tamen, nec illius, Veritatem absolute ponunt; sed hujus tantummodo ex illa consequentiam asserunt: atque facile reducuntur ad Formam *Simplicem*, seu (ut vocari solet) *Categoricam*; si advertamus, particulam conditionalem, *Si*, tantundem valere ac, *Quo casu*; ut jam memorata Propositio huc redeat, *Quo casu*, (vel *omni casu quo*) *Deus existit, Mundus regitur Providentia*: Quod si denuo Terminos, qui hic in obliquo proferuntur, in casum rectum transferamus, habebimus sequentem Propositionem Categoricam, quâ unum Prædicatum de uno Subjecto affirmatur; *Omnis Casus qui ponit Deum existere* (i. e. *in quo Deus existit*) *est Casus qui ponit Mundum regi Providentia*. Eodem modo, aliæ quævis Conditionales ad Formam Categoricam reduci possunt; licet nonnullæ simpliciorem admittant reductio-nem.

Ad

Ad Conditionales autem (& consequenter,  
juxta modò dicta, ad Categoricas) facile re- 87  
ducuntur, tum *Disjungentes*; ut, *Vel est dies,*  
*vel nox*; tum *Copulantes Negatae*; ut, *Non 88*  
*est & dies & nox*: Illæ quidem, si unum  
membrum dicatur sequi ex negatione alterius;  
ut, *Si non est dies, est nox*; vel contrà,  
*Si non est nox, est dies*: Hæ verò, si ex uno  
membro, negatio alterius sequi dicatur; ut,  
*Si est dies, non est nox*; vel contrà, *Si esse*  
*nox, non est dies*.

Nec minus conspicua est, unius Prædicati,  
de uno Subiecto, Affirmatio, vel Negatio, in  
Propositionibus quæ Logicis dicuntur *Relati- 89*  
*væ*; quales sunt hæ; *Tanti es, quantum ha-*  
*bes*; *ut tria ad sex, ita quinque ad decem*;  
hæ scilicet, sponte resolvuntur in formam ca-  
tegoricam; *Valor divitiarum quas possides,*  
*est Valor quo tu ipse aestimaberis*; *Ratio nu-*  
*meri ternarii ad senarium, est aequalis ra-*  
*tioni numeri quinarii ad denarium*. At-  
que ex his, de aliis Relativis, aliisque non-  
nullis Propositionum Clasibus, quæ pro Com-  
positis vulgò circumferuntur, facile fieri po-  
test Judicium.

Quod ad Propositiones attinet, quæ recen-  
tioribus Logicis, non *Compositæ* quidem, sed  
*Complexæ*, dicuntur; in quibus intervenit  
Clausula, quæ, per pronomen relativum pro-  
lata, distinctæ Propositionis habet formam:  
hæ, si *Clausula ista relativa explicandi vim 90*  
*babeat, manifesse exponunt duo Judicia;*  
alterum sc. solennius, & tanquam id, quod

præcipue spectatur ; alterum obiter duntaxat, seu incidenter : Ex. gr. his verbis, *Alexander Magnus, qui fuit Philippi Filius, superavit Persas* ; præcipue enunciatur, *Alexandrum Magnum superasse Persas* ; sed & obiter insinuatur, eundem *Alexandrum Magnum fuisse Philippi filium* : quæ duo sunt in mente diversa Judicia. Atque idem esset dicendum, etiam si Pronomen relativum & Verbum subaudirentur ; ut in hac forma, *Alexander Magnus, Philippi filius, superavit Persas.* Quod si verò *Clausula relativa, determinandi causa addatur, est pars ipsius Subjecti, vel Predicati* ; atque ea non obstante, *Propositio est simplex, quantumvis Termini sint complexi* : ita, *hujus Propositionis, Vir sapit, qui pauca loquitur, Subjectum non est Vir, sed Vir qui pauca loquitur.*

92 Sunt & Propositiones, quæ recentioribus appellantur *Complexæ*, ratione *Formæ*; utpote in quibus, Verbis, externam simplicis Propositionis formam continentibus, additur aliquid, quod de ista Propositione, aut de ejus Veritate, prædicatur : ut, *Terram esse rotundam, est certissimum.*

In hoc genere eminent, quæ vocantur vulgo *Modales* ; in quibus sc. simplicis Propositionis affirmatio, vel negatio, afficitur aliquo quatuor vulgo receptorum modorum, qui sunt, *Necesse, Possibile, Impossibile, & Contingens* : ut, *Deum existere, est Necesse ; Petrum esse doctum, est Possibile, &c.*

Omnès verò ejusmodi (nisi lubeat quædam potius resolvere in duo Judicia, quorum unum præcipuè spectatur, alterum obiter insinuatur) sponte se resolvunt in meram, unius Prædicati, de uno Subjecto, Affirmationem aut Negationem ; quantumvis alter, vel uterque Terminus sit complexus : idque vel, 1. ita, ut *Dictum* (ita enim vocatur Pars, quæ simplicis Propositionis habet formam) *unius Terminii* ; *Modus*, alterius locum teneat : vel 2. ut *Subjectum Dicti* sit *Subjectum integræ Propositionis* ; & *Prædicatum Dicti*, cum *Modo complicatum*, ejusdem *Prædicatum*.

Priorem resolutionis formam si sequamur, 94  
quatuor assignati modi, notant diversas Qualitates & Quantitates Propositionum, quibus *Casus Possibilis* dicitur, vel negatur, ponere veritatem *Dicti* ; quo pacto memoratz Modales, hoc modo resolvuntur ; *Omnis Casus Possibilis*, ponit *Deum existere* ; sive est *Casus*, quo *Deus existit* ; *Aliquis Casus Possibilis*, ponit *Petrum esse doctum*. Posteriorē verò resolutionis modo si utamur, *Subjectum Dicti*, utpote quod integræ Propositionis est *Subjectum*, debet ex obliquo casu, in rectum transferri ; ut in his, *Deus existit necessario* ; *Petrus potest esse doctus* : Quod & in multis aliis Propositionibus fieri debet, ut verum *Subjectum*, & verum *Prædicatum*, liquidò se prodant (e). Sed de his fusiùs

D 2

tractare,

(e) Hoc obtinet, quoties Terminus affectus Quantitatij notæ, quæ nec *Subjecti* nec *Prædicati* pars est.  
25112 (qui

tractare, ut & ostendere, in quibus Modali-  
bus prior, in quibus posterior, Resolutionis  
modus sit adhibendus, non est hujus loci.

### § VI. *De Judicio certo, incerto.*

96 Judicium porro, aliud est *Certum*, quod  
*ineffabilem quendam veritatis splen-  
dorem in se habet*; qui, cum in solis (licet non  
omnibus) veris Judiciis reperiatur, omnem  
falsi suspicionem excludit; aliud est *Incer-  
tum*, sive *dubium*, quod, cum infallibili isto  
Veritatis charæctere destituatur, non omnem  
falsi suspicionem tollit. Cur *Judicij* potius  
quam *Propositionis* nomine hic utamur, ubi  
*Certitudinem Subjectivam*, id est, Menti  
actu præsentem, eique oppositam Incertitudi-  
nem consideramus; intelligi potest ex dictis  
n. 31, 32. Unde etiam facile liquet, ipsi  
*Propositioni* rectius tribui Certitudinem *Ob-  
jectivam*, si nimirum, ea quam definit, idea-  
rum habitudo, certò a nobis cognosci possit;  
vel huic oppositam Incertitudinem, si non  
possit.

### § VII. *De Judicio immediato in Specie, ejusque duplice genere.*

De *Judicio immediato*, quā, tali, parum  
restat dicendum: hoc interim notari volumus,  
omnem

---

(qui Terminus est semper verum Subjunctum Proposi-  
tionis) in obliquo effertur: ut, *Omnes Hominis altera  
manus est sinistra: Alioquin Hominis utraque manus est  
valida.*

*omnem nostram cognitionem qualemcumque, 97  
in Propositiones immediatas, sive suo lumine  
notas, ultimo resolvendam esse; adeo ut,  
sive habitudo terminorum assignatae cujuslibet  
propositionis, ex unius, sive ex plurium me-  
diorum interventu, innotescat; semper ne-  
cessere sit, uniuscujusque Ideæ intermediæ, ad  
eas, quæ utrinque proximè cum ea conferun-  
tur, immediate cognoscibilem esse habitudi-  
nem.*

Principia verò, quibus nostra cognitione ini-  
nititur, ad duo genera revocari possunt :  
*Quippe alia sunt Abstracta, quorum veritas, 98  
ex mera abstractarum (f) Idearum in-  
terior se collatione innotescit, sine ulla conver-  
sione mentis, ad ipsam rem, ut in rerum na-  
tura existentem ; cujusmodi est hoc, *Omne  
torum est majus sua parte*: alia sunt Intui- 99  
tiva, sive Experimentalia, quæ consistunt in  
intimo sensu, sive conscientia, quam mens ha-  
bet rei sibi intimè præsentis ; cujus generis  
est hæc propositio, *Ego cogitans existo.**

Propositiones, quæ ex solis prioris generis  
principiis deducuntur, sunt pure Hypothetica, 100  
nec ullius rei existentiam absolute ponunt :

Atque

(f) Quid sit *Abstractus*, supra diximus n. 12. Unde  
intelligitur, unam ideam dici posse abstrahi ab alia,  
quoties menti observatur separata ab illa, quacum pri-  
us eandem complexam constituebat : simpliciter vero  
*Abstracta* dicitur *Idea*, quæ abstrahitur a peculiari  
consideratione ullius singularis rei, sensui vel reflexio-  
ni nostræ oblatæ ; ut *Ideæ Totius, Partis, &c.*

Atque huc pertinent istæ Prædicationes, quibus rei alicui sub conditione existentia, tribuitur Affection, quæ, licet ipsum rei conceptum non ingrediatur, necessarium tamen cum eo conceptu nexus obtinet: qualem Affectionem Logici appellant *Proprium*; ut in hâc, *Omnis Creatura rationalis, est subiecta regula morum.*

<sup>101</sup> Posterioris verò generis principia, supponunt omnes Propositiones *absoluta*, quibus sc. alicui rei actualis existentia, vel quodvis prædicatum, tanquam actu ei conveniens, absolutè tribuitur: Quo sensu tribui solet, quodcumque Subjecto contingenter duntaxat convenit, prædicatum; quale Logicis nuncupatur *Accidens commune*: ut in hac Propositione, *Petrus est doctus*. Atque *Proprium & Accidens commune*, unà cum *Specie, Genere & Differentia*: de quibus n. 23.  
<sup>102</sup> 24, 26. sunt quinque decantata Logicorum *Prædicabilia*.

### C A P U T III.

#### *De Judicio mediato, sive Discursu*

##### § I. *De Natura Discursus, sive Judicij mediati.*

<sup>103</sup> Q UOTIES duarum quarumlibet Idearum mutua habitudo, ex immediata eorum collatione, non satis intelligitur; advo-  
canda

canda est (ut suprà monuimus) una vel altera Idea intermedia, ut ex perspecta utriusque propositarum idearum, ad hanc medium, (vel ad plures rectè inter se dispositas) habitudine, inferri potuerit earundem ad se invicem Relatio. Aëtus verò, quo sententiam ferimus, <sup>104</sup> de Idearum ad se invicem habitudine, innixam sententiis prius latis de habitudine utriusque ad tertiam, vocatur *Judicium mediatum*, sive *Discursus*, ut suprà dictum.

Quod ad Consequentiam attinet, nihil interest, utrum cum eadem Idea intermedia, immediatè comparetur utraque extremarum; an verò una tantum extremarum idearum immediatè comparetur cum prima media, haec cum secunda, & ita deinceps, donec veniamus ad alteram extremam Ideam, cum ultima media immediatè conferendam; secundùm regulas infra stabilendas. Quia tamen naturæ & doctrinæ ordo postulat, ut a simplicioribus initium ducatur; supponimus tantisper, cum una eademque Idea intermedia, duas extremas, in totidem Propositionibus conferri; non attendentes, num immediatè, num verò ulterioris alicujus medii (unius vel plurium) beneficio, utriusque extremarum Idearum, ad istam medium, habitudo innoteat.

## § II. *Dè Syllogismo Affirmante, Negante;* *utriusque Principiis & Partibus.*

*ORATIO*, qua enunciatur *Judicium mediatum*, qua, tale, una cum duobus aliis.  
quibus.

quibus illud proxime innititur; vel alias,  
Oratio, qua una propositio explicite inser-  
tur ex duabus aliis, quibus duo illius Ter-  
mini cum eodem medio conseruntur, dicitur

**S Y L L O G I S M U S**, sed *Vocalis*: Ipse enim  
107 *Mentis processus per duo Judicia, quibus to-*  
*ridem Ideæ seorsum conseruntur cum eadem*  
*media, ad tertium, quo earundem duarum*  
*Idearum inter se habitudo statuitur, dicitur*  
*Syllogismus mentalis.* Pleraque eorum quæ  
de Syllogismo infra dicentur, pari ratione ac  
de *Propositionis* nomine suprà notavi, de  
mentali præcipue ac primario, de *Vocali* se-  
cundario, sunt intelligenda.

108 *Syllogismus, alius est affirmans, alius ne-*  
*gans.* *Affirmans* is dicitur, quo quis conclu-  
dit, duarum Idearum obiecta esse eadem in-  
ter se; quia borum utrinque, cum eodem  
tertiae alicujus Ideæ obiecto, identitatem, ante  
affirmaverat: atque innititur huic axiomati,  
Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem in-  
ter se: Ex gr.

*Omnis res cogitans est immortalis;*  
*Mens humana est res cogitans:*  
*Ergo Mens humana est immortalis.*

109 *Syllogismus negans* est, quo quis concludit,  
duarum idearum Obiecta, non esse eadem  
inter se; quia istorum Obiectorum, inde af-  
firmaverat, binc negaverat, cum eodem ter-  
tiae alicujus Ideæ Obiecto, identitatem: inni-  
titur autem huic axiomati, Quorum unum  
est

*est idem alicui tertio, cui alterum non est idem, ea non sunt eadem inter se ; V. gr.*

*Nulla res cogitans est materialis ;*

*Mens humana est res cogitans :*

*Ergo Mens humana non est materialis.*

Utrobique Syllogismum duntaxat rectè procedentem consideramus.

Ex dictis constat, *tres* in unoquoque Syllogismo Ideas conferri ; *duas* sc. quarum Convenientia, vel Discrepantia infertur, quæque vocari solent *Extrema* ; cujusmodi sunt in allato exemplo, Syllogismi affirmantis, *Mens humana & Immortalis* ; & *tertiam*, quacum utraque extremarum Idearum sigillatim comparatur ; ita ut, vel utraque cum ea convenire ; vel unâ cum ea convenire, altera ab ea discrepare, deprehendatur ; Atque hæc *tertia*, dicitur vulgo *Medium* ; cujusmodi est, in eodem exemplo, *Res cogitans* : Hæ tres Ideæ, unâ cum vocabulis quibus efferuntur, appellantur vulgo *Tres Termini Syllogismi*.

Indidem quoque constat, *tres* in unoquoque Syllogismo contineri *propositiones* ; *unam* sc. quâ infertur, duorum extremorum, vel Convenientia, vel Discrepantia inter se ; quæque dicitur *Conclusio* ; ut in prædicto exemplo, *Mens humana est immortalis* (cujus Prædicatum, ut *immortalis*, dicitur *majus Extremum* ; Subjectum verò, ut *Mens humana*, appellatur *minus Extremum*) Atque alias insuper *duas* propositiones, quibus duo E extremæ,

extrema, sigillatim conferuntur cum medio :  
 118 Hæ autem vocantur *Præmissæ*; quarum, quæ  
     majus extreum comparat cum medio, di-  
 119 citur *Propositio major*, vel simpliciter *Pro-  
     positio*; ut in prædicto exemplo, *Omnis res  
     cogitans est immortalis.* Quæ verò minùs  
     extreum confert cum Medio, appellatur  
 120 *Propositio minor*, vel *Affumptio*; ut *Mens  
     humana est res cogitans.*

### § III. De generalibus Syllogismorum Re- gulis.

Porrò, ex datis utriusque Syllogismi (affir-  
 mantis & negantis) Definitionibus, & Axio-  
 matibus quibus superstruuntur, satis constat,  
 121 *ut duo extrema inter se conjungantur in Con-  
     clusione, necessario requiri, utrumque eorum,  
     in præmissis, cum medio fuisse coniunctum;*  
 122 *Atque, ut extrema in Conclusione ab invi-  
     cem separantur, non minus necessario re-  
     quiri, unum eorum, cum Medio, in præ-  
     missis, fuisse coniunctum, alterum ab eo-*  
 123 *dem Medio separatum: Unde, si u-  
     trumque extreum, in præmissis, a medio  
     separetur; neque extreborum inter se con-  
     venientia, nec e discrepantia, inde concludi  
     poterit. Hinc sponte fluunt, quæ vulgo, sed  
     confusius, utpote aliis intermixta, tradi solent,*

#### REGULÆ de Qualitate Propositionum Syllogisticarum.

124 *Prima, Si altera Præmissarum sit negans,  
     Conclusio erit negans.*

*Secunda,*

Secunda, Si utraque Præmissarum sit 125 affirmans, Conclusio erit affirmans.

Tertia, Ex utraque Præmissa negante, 126 nihil sequitur.

Verum ex iisdem quoque principiis sequitur, ad Conclusionem recte inferendam non sufficere, ut duæ idæ, quæ in Conclusione inter se conferuntur, collatæ fuerint in præmissis, cum eadem Idea tertia, secundum regulas modò stabilitas ; nisi etiam innotescat, 127 & utramque idearum extremarum sumi in præmissis, pro omnibus iis objectis, pro quibus sumitur in Conclusione ; & ideam tertiam, sive medium, in utraque præmissa, unum saltem idem objectum representare : Nam, ita demum securi reddimur (quod imprimis exigit natura Syllogismi) easdem res, quæ inter se conferuntur in Conclusione, cum unâ eademque re, collatas fuisse in præmissis. Illud verò ut obtineamus, diligentissime observandæ sunt sequentes

### R E G U L A de Extensione Terminorum Syllogisticorum.

Regula Prima. Medium, in altera saltem 128 Præmissarum, sumi debet in tota sua latitudine ; id est, pro omnibus objectis, quæ representare potest : Ita enim clare innotescit, illud Medium, in utraque præmissa, pro aliquibus iisdem, aut pro aliquo saltem eodem objecto, sumi ; quod non constaret, si Medi-

um utrobique particulariter tantum sumere-  
tur. Confer n. 80. & 81.

**Regula Secunda.** *Neutrūm extre morūm universalius sumi debet in ipsa Conclusionē, quam in Præmissis*; sive, neutrūm extre morūm, quod particulariter sumebatur in præmissa, quam ingrediebatur, sumi debet universaliter in Conclusionē: Extremū verò, quod universaliter sumebatur in præmissa, sumi potest in Conclusionē, vel universaliter, vel particulariter: quia Idea sumpta particulariter, continetur sub semet universaliter accepta; non vice versa: ut notavimus sub n. 61.

Ex dictis porrò in superiore Sectione, satis constat, quando idea quævis universaliter accipiatur, & quando particulariter: quippe,

**Idea singularis semper sumitur in tota sua latitudine:** Idea verò universalis, tum demum in tota sua latitudine accipitur, quando est Subiectum Propositionis universalis, vel Prædicatum negantis; particulariter vero, quando est Subiectum Propositionis particularis, vel Prædicatum affirmantis.

Sicut ex dictis constat, nullum Syllogismum rectè concludere, in quo violatur ulla prædictarum regularum; ita non minùs constat, nulli Syllogismo, in quo omnes iste regulæ observantur, legitimam consequentiam posse deesse: omnes enim tales sponte se referunt ad alterum sequentium Theorematum; quæ in duobas suprà positis Axiomatibus manifeste fundantur.

## THEOREMA I.

131

## Pro Syllogismis Affirmantibus.

*Si duæ Ideæ copulentur cum eadem tertia, semel universaliter accepta; eadem Ideæ, non universalius acceptæ quam prius, recte copulantur inter se.*

## THEOREMA II.

132

## Pro Syllogismis Negantibus.

*Si duarum Idearum, altera copuletur cum tertia, altera separetur ab eadem, vel hic vel illic universaliter accepta; eadem duæ Ideæ, non universalius acceptæ quam prius, recte separantur inter se.*

Atque ex his foliis, cuiuslibet Syllogismi, in simpliciore, seu categoricâ, ut dici solet, <sup>oꝝ</sup> formâ, propositi, legitima vel illegitima consequentia facile dignoscitur; ut alias regulas superaddere non sit necesse. Sed cum Logica Scholastica, omissis Regulis de extensione Terminorum (una cum generali, quam ex supponunt, Termini universaliter & particulariter accepti, distinctione) earum loco alias Regulas, sive Notas potius, a Propositionum Syllogisticarum quantitate & qualitate petitatis substituerunt; quibus observatis, observantur & dictæ de Terminorum extensione Regulæ; illas etiam ex principiis modò stabilitis, hoc est, ex ipsis Regulis *de extensione Terminorum* (suppositis simul generalibus Regulis

Regulis *de Qualitate Propositionum*, una cum *Propositionis universalis & particularis definitionibus* n. 46, 47. traditis ; nec non *Propositionis Affirmantis & Negantis proprietatibus* n. 41, 42. *Definitionibus* denique singulorum Terminorum & *Propositionum Syllogismi*, n. 112, 115, 117, 119, 120.) breviter deducere non pigebit. Et carum quidem plerque cum singulis figuris sint propriæ, paulò inferiùs tradentur : duæ interim, quæ omnibus figuris sunt communes, hic sunt subjungendæ.

153 *Regulae generales, de Quantitate Propositionum Syllogisticarum.*

I. *Si altera Præmissarum sit particularis, Conclusio erit particularis* : Nam, si utraque sit affirmans ; & harum altera sit particularis ; est unus solus Terminus, in præmissis universaliter acceptus ; nempe, *Subjectum Præmissæ universalis* : *Prædicatum enim utriusque sumitur particulariter, juxta sèpius dictam proprietatem propositionum affirmantium* ; ut & *Subjectum alterius, per definitionem propositionis particularis* : unus verò iste Terminus debet esse medius, per *Regulam primam de extensione Terminorum* : Minus Extremum itaque, in Minore sumitur particulariter, & consequenter (*per Regulam secundam de extensione Terminorum*) etiam in *Conclusione* ; quam idcirco reddit particularem, per *definitionem minoris Extremi & Pro-*

*Propositionis particularis.* Quod si verò Præmissarum, quarum altera est particularis, altera (non refert, sive eadem, sive diversa) sit negans; sunt duo soli Termini, universaliter accepti in Præmissis, nempe, Prædicatum Præmissæ negantis, & Subjectum universalis; Prædicatum enim affirmantis, & Subjectum particularis, sumuntur particulariter, per antedicta: Iste verò duo Termini universaliter accepti, debent esse, medius Terminus, per *Regulam primam de extensione Terminorum*; & majus Extremum, per *secundam*; cum Conclusio, in hoc casu, sit negans, per *primam Regulam Qualitatis*; atque adeo, majus Extremum, quod est ejus Prædicatum, sumatur ibi universaliter; per *proprietatem Propositionis Negantis*: Minus itaque Extremum, in hoc pariter ac in prædenti casu, sumitur particulariter: Atque Conclusionem, cuius est subjectum, reddit particularem.

II. *Ex utraque Præmissa particulari,* 134  
*nihil sequitur:* Nam si utraque sit affirmans, nullus est, in præmissis, ex natura particularium affirmantium, Terminus universaliter acceptus: Quod est contra *primam Regulam de extensione Terminorum*: Si verò altera particularium sit negans, Conclusio est etiam negans, per *primam Regulam Qualitatis*; atque adeo in hæc, majus Extremum, quod ejus est Prædicatum, sumitur universaliter: & cum unus solus Terminus, universaliter sumatur in præmissis (nam Subjectum utriusque

que sumitur particulariter, cùm utraque supponatur particularis ; ut etiam prædicatum alterius ; quæ, per tertiam Regulam Qualitatis est affirmans) vel hic unus Terminus, in præmissis universaliter acceptus, est medius Terminus, atque adeo maius Extremum sumitur particulariter ; quod, in hoc casu, est contra secundam Regulam de extensione Terminorum ; vel Terminus, qui in præmissis sumitur universaliter, est ipsum maius Extremum : atque adeo Medium sumitur particulariter, contra primam Regulam de extensione Terminorum.

135 Notandum est, nos, in his & sequentibus demonstrationibus, ubique supponere, Prædicatum Propositionis affirmantis, sumi tantum particulariter ; quod, cùm in istis Propositionibus non obtineat, quarum Prædicatum est singulare, Regulæ modo demonstratæ, de quantitatè Propositionum Syllogisticarum, ut & singularum figurarum propriæ, infra demonstrandæ, de istis Syllogismis intelligi debent, in quibus omnia prædicata sunt Termini universales.

#### § IV. De Figuris Syllogismorum.

136 Syllogismi distingui solent secundum Figuram & Modum. *Figura*, est dispositio duorum Extremorum (sive Terminorum Conclusionis) cum Medio, in Præmissis : Atque in Syllogismis, simplicem & directam formam habentibus, quæ in tota hac doctrina supponitur, recte statuitur *Quadruplex*.  
*Prima*

*Prima Figura est, in qua utrumque 137 Extremum eundem obtinet situm in præmissis, quem habet in Conclusione : Hoc est, majus Extremum prædicatur de Medio, & minus Extremum Medio subjicitur ; seu, ut vulgò effertur, Medium subjicitur in majore Propositione, & prædicatur in minore. Atque hujus Figuræ, duæ sunt speciales Regulæ.*

I. *Minor sit Affirmans.* Si enim minor 138 esset negans ; major (per tertiam Regulam Qualitatis) deberet esse affirmans, & Conclusion (per primam Regulam Qualitatis) negans : Quod si fieret, majus Extremum, quod hic est prædicatum majoris, in Majore affirmante, sumeretur particulariter ; & in Conclusione negante, universaliter ; contra secundam Regulam de extensione Terminorum.

II. *Major sit universalis.* Quia, cum 139 Minor (per præcedentem Regulam) sit affirmans ; Medium, quod in ea prædicatur, sumitur ibi particulariter ; debet itaque (per primam Regulam de extensione Terminorum) in Majore sumi universaliter ; atque adeo Majorem, cuius est Subjectum, reddere universalē.

*Secunda Figura, est in qua utrumque 140 Extremum medio subjicitur ; vel, ut vulgò, in medium in utraque Præmissa prædicatur. Hujus etiam Figuræ, duæ sunt speciales Regulæ.*

I. *Altera Præmissarum sit negans.* Si 141  
F enim

enim utraque esset affirmans, medium, quod in utraque prædicatur, utrobius sumeretur particulariter, contra *primam Regulam de extensione Terminorum*.

142 II. Major sit *Universalis*. Cum enim (per *præcedentem*) altera Præmissarum sit negans, Conclusio etiam (per *primam Regulam Qualitatis*) est negans; atque adeo majus Extremum, i. e. Prædicatum Conclusionis, in hac sumitur universaliter: unde universaliter etiam sumi debet (per *secundam Regulam de extensione Terminorum*) in Majo<sup>r</sup>e; atque adeo Majorem, cuius est Subiectum, universalem reddere.

143 Tertia Figura, est in qua utrumque Extremum de Medio prædicatur; sive, ut vulgo, Medium in utraque Præmissa subjicitur. Hujus etiam duæ sunt speciales Regulæ.

144 I. Minor sit affirmans. Ob candem rationem, ac in prima figura.

145 II. Conclusio sit particularis. Quippe, cum Minor (per *præcedentem*) sit affirmans; minus Extremum, quod ejus est Prædicatum, in ea sumitur particulariter; unde etiam sumi debet particulariter (per *secundam Regulam de extensione Terminorum*) in Conclusione: Quam idcirco, cum hujus sit Subiectum, reddit particularem.

146 Quarta denique Figura est, in qua utrumque Extremum, in Præmissis contrarium obtinet situm, ei quem habet in Conclusione; id est, majus Extremum medio subjicitur, & minus de eo prædicatur; sive, ut vulgo definiunt,

finiunt, Medium in Majore prædicatur, & in Minore subjicitur. Huic Figuræ tres reætè tribuuntur speciales Regulæ.

I. *Si Major sit affirmans, Minor sit universalis.* 147. Oo eandem rationem, ob quam, in prima Figura, quia minor (Propositio sc. in quâ Medium prædicatur) semper est affirmans, major (Propositio in quâ Medium subjicitur) est semper universalis.

II. *Si Conclusio sit negans, Major debet esse Universalis.* 148 Ob eandem rationem, ac in secunda Figura, quia Conclusio semper est negans, Major semper est universalis.

III. *Si Minor sit affirmans, Conclusio particularis esto.* 149 Ob eandem rationem, ac in tertia Figura, quia Minor semper est affirmans, Conclusio est semper particularis.

Ex harum Regularum demonstrationibus 150 facile intelligitur, singularum Figurarum speciales Regulas nihil esse aliud, quam Regulas duas generales *de extensione Terminorum*, illi Terminorum dispositioni, quam quæque Figura determinat, specialiter accommodatas. Unde, cum secunda dictarum generalium Regularum, pro duobus Extremis, sit quasi bifida ; deberent cujusque Figuræ (pro ratione trium Terminorum) tres esse speciales Regulæ ; nisi locum specialis Regulæ pro minore Extremo, in prima & secunda Figura, suppleret prima generalis Regula Quantitatis ; ut & locum Regulæ in tertia Figura pro Medio, secunda Quantitatis.

## § V. De Modis Syllogismorum.

151 *Modus Syllogismorum*, est *Dispositio Propositionum Syllogisticarum*, *ratone Qualitatis & Quantitatis*. Cum itaque singulæ trium Propositionum, quadruplicem hoc respectu varietatem admittant ; si nulla Regularum ratio esset habenda, Modi possibiles forent sexaginta quatuor : is enim numerus oritur, ex quaternario cubice multiplicato. Horum verò pars multo major, per Regulas generales, supra traditas, rescinditur ; ita ut restent Modi utiles, & legitimè concludentes (Figurarum discrimine non spectato) dum  
 152 taxat *decem* : Quorum nonnullis pariter, a singulis Figuris, per Regulas cuique proprias, exulare iussis ; (a) manent, in prima Figura, Modi *quatuor* ; in secunda, *quatuor* ; in tertia, *six* ; in quarta, *quinque* ; singuli, technicis ipsis Vocabulis, quæ sequentibus versiculis comprehenduntur, denotati ; in quibus, prima cujusque Vocabuli vocalis, notat Quantitatem & Qualitatem Majoris ; secunda Minoris ; tertia Conclusionis ; juxta significationem, quatuor vocalibus assignatam, n. 55.

*Barbara*

---

(a) Horum specialiorem determinationem, ipsorum Tyronum Exercitio, post brevem explicationem viva voce tradendam, haud difficiili, reservamus.

*Barbara, Celarent, Darii, Ferio*; dato primæ :  
*Cesare, Camestres, Festino, Baroco*; secundæ :  
*Tertia Darapti, Felapton, vult Datisique*  
*Cum Ferison, Disamis, Bocardo*: Sed dato quartæ  
*Hæc, Bamarij, Cameres, Dimatis, Festapo,*  
*Fresison.*

Singulorum Exempla sequuntur.

In PRIMA FIGURA.

BAR- *Quisquis recto ad felicitatem tramite incedit, est vera prudentia præditus.*

BA- *Omnis vir pius, recto incedit tramite ad felicitatem:*

RA. Er. *Omnis vir pius, est vera prudentia præditus.*

CE- *Nemo, qui perpetuo ea facit, quorum oportet pœnitere, est sapiens;*

LA- *Omnis impius perpetuo ea facit, quorum oportet pœnitere :*

RENT. Er. *Nullus impius est sapiens.*

DA- *Omnis pius est honorandus ;*

RI- *Aliqui privati sunt pii :*

I. Er. *Aliqui privati sunt honorandi.*

FE- *Nullus infelix est dignus, cui invideamus ;*

RI- *Aliqui divites sunt infelices :*

O. Er. *Aliqui divites non sunt digni, quibus invideamus.*

## In SECUNDA FIGURA.

CES- *Nullus mendax est fide dignus ;*  
 A- *Omnis vir bonus est fide dignus :*  
 RE. *Et Nullus vir bonus est mendax.*

CA- *Quisquis est beatus, sua sorte contentus  
vivit ;*  
 MES- *Nemo qui cupiditatibus indulget, vivit  
sua sorte contentus :*  
 TRES. Er. *Nemo qui cupiditatibus indulget, est  
beatus.*

FES- *Nulla virtus est contraria amoris veritatis ;*  
 TI- *Quidam amor pacis, est contrarius amoris  
veritatis :*  
 NO. Er. *Quidam amor pacis non est virtus.*

BA- *Omnis vir bonus est amans patriæ ;*  
 ROC- *Quidam, qui pietatis zelum præseferunt,  
non sunt amantes patriæ :*  
 O. Er. *Quidam, qui pietatis zelum præse-  
runt, non sunt boni viri.*

## In TERTIA FIGURA.

DA- *Omnis virtus est digna, quam prose-  
quamur ;*  
 RAP- *Omnis virtus est ardua :*  
 TI. Er. *Aliquod arduum est dignum quod prose-  
quamur.*

FE- *Nullus vir bonus est spernendus ;*  
 LAP- *Omnis vir bonus laborat defectibus :*  
 TON. Er. *Quidam, qui laborant defectibus, non  
sunt spernendi.*

DA-

DA- *Omnis vir probus est honorandus ;*  
 TIS- *Quidam viri probi sunt in hoc mundo  
egeni :*  
 I. Er. *Quidam in hoc mundo egeni sunt hono-  
randi.*

FE- *Nullus Benefactor est odio prosequendus ;*  
 RIS- *Quidam Benefactores faciunt, quæ nobis  
ingrata sunt :*  
 ON. Er. *Aliqui facientes quæ nobis ingrata sunt,  
non sunt odio prosequendi.*

DIS- *Quidam impii sunt divites in hoc mundo ;*  
 AM- *Omnes impii sunt miseri :*  
 IS. Er. *Quidam miseri sunt divites in hoc mundo.*

BOC- *Quædam ira non est vituperanda ;*  
 AR- *Omnis ira est Affectionis :*  
 DO. Er. *Quidam est Affectionis qui non est vitupe-  
randus.*

#### In QUARTA FIGURA.

BA- *Qui alterius nequitiiis favet, eidem ru-  
inam adfert ;*  
 MA- *Quisquis alteri ruinam adfert, est ei  
inimicus :*  
 RIP. Er. *Aliquis alteri inimicus, ejus nequitiiis  
favet.*

CA- *Omnis ignavus est sui commodi negligens ;*  
 ME- *Nemo sui commodi negligens, est sapiens :*  
 RES. Er. *Nullus sapiens est ignavus.*

DI- *Quædam afflictiones sunt utiles ad sa-  
lutem ;*

MA-

MA. *Quicquid est utile ad salutem, est causa gratias agendi :*

TIS. Er. *Quedam causa gratias agendi, sunt affectiones.*

FES. *Nullus mendax est probus ;*

TAP. *Omnis probus sua incolumitati prospicit :*

O. Ex. *Aliquis qui sua incolumitati prospicit, non est mendax.*

FRES. *Nullus miser est aquanimus ;*

IS. *Aliquis aquanimus est pauper :*

ON. Er. *Aliquis pauper non est miser.*

153 Facile esset, ex principiis generalibus supra stabilitatis, singulorum horum modorum legitimam Consequentiam demonstrare ; vel etiam ex iisdem, quod nonnulli faciunt, subordinata principia deducere, ad quæ immediatius revocentur Modi, singulis Figuris tributi : Sed eo labore nos hic loci supersedemus ; cum cuivis, singulos singularum Figurarum Modos percurrenti, facilimè constare possit, Modos affirmantes in primo, negantes in secundo Theorematum suprà positorum, apertè fundari.

§ VI. *De Syllogismis Obliquis, deque generalissima Consequentiae Syllogisticae Regula.*

154 Atque horum quidem modorum aliquem, manifestè, præ se fert, quilibet Syllogismus, in simplice ac directa, seu categorica, Forma, propositus (id est, ita ut duo Extrema, & Medium,

Medium, in singulis quas ingrediuntur, Propositionibus, in recto proferantur) saltem, si singularum propositionum prædicata, sint Termini universales. Sæpius verò contingit, inter familiarius argumentandum, adhiberi Syllogismos, qui non ad amissim Formæ categoricæ fabricantur; sed ita proponuntur, ut Termini (qui, vel singularum propositionum, vel saltem integri Syllogismi, (b) legitima, & regulari Forma considerata) principalibus haberi debent, in obliquo <sup>155</sup> tamen efferantur; si non aliis etiam crypticis loquendi formulis involvantur. Ex. gr.

*Persæ adorarunt Solem;*

*Sol est res inanima:*

*Ergo Persæ adorarunt rem inanimam.*

Ubi medius Terminus, sc. *Sol*, in prima Propositione effertur in obliquo; quemadmodum etiam in Conclusione, alterum Extremorum, sc. *res inanima*, quod in secunda Propositione directe cum Medio copulatur.

Ejusmodi autem Syllogismi, vel sunt ad <sup>156</sup> Formam categoricam reducendi (c), vel po-

G

tiùs

(b) Casus, quo integri Syllogismi, legitima ac regularis forma, hoc postulat, Exemplum esse potest, Syllogismus in Textu adductus: De casu autem quo singularum Propositionum seorsim consideratarum, forma, idem exigit. Vide Annot. ad n. 95.

(c) Reducuntur, vel per obliquam seu relativam Conversionem, Præmissæ Continentis & Conclusionis; ut, *Sol* fuit adoratus a Persis, Er. Aliqua res inanima, &c. vel per Amplificationem Præmissæ applicantis; ut, pro *Sol*

tius una aliqua generaliore Regula examinandi ; qualis in primis est hæc, ab Eruditissimo Auctore *Artis cogitandi* stabilita,  
 157 quod sc. *Una Præmissarum per alteram ostendit debet continere Conclusionem.* Ostenditur verò illa Præmissa continere Conclusionem ; si aliquis Terminus, qui est in dicta Præmissa, sed non in Conclusione, ostendatur continere, & quidem sub ea latitudine quam is habet in Præmissa, alterum Terminum, qui est in Conclusione, sed non in Præmissa continente, idque secundum eam latitudinem, quam hic fortitur in Conclusione & relativa verò Continenti & Conclusioni sunt communia : Præmissarum verò, illa consideranda  
 159 est ut *Continens*, quæ ad Conclusionis formam proximè accedit (negans imprimis, si Conclusion talis fuerit) Altera verò habenda, ut *Ostendens*, sive, ut alias dicitur, *Applicans*.

In adducto exemplo V. gr. prima propositione, per secundam ostenditur, continere Conclusionem ; dum Terminus medius, sc. *Sol*, qui est in prima Propositione, sed non in Conclusione, ostenditur continere alterum Terminum,

*Sol est res inanima, dicatur quæ adorarunt Solem, adorabant rem inanimam.* In quo posteriore casu. Subjectum Præmissæ substitutæ ostenditur continere ejus Prædicatum, ope simplicioris Præmissæ pro quæ substituitur : eadem ratione, ac ejusdem ope, Præmissa continens Syllogismi obliqui, ostenditur continere Conclusionem. Utrobique igitur adhibendæ sunt cautelæ, n. 160, & 161. adductæ. Confer Annotata post n. 71.

minum, sc. *rem inanimam*, qui ejus loco ingreditur Conclusionem; reliqua verò, huic cùm illa sunt communia.

At quando Terminus medius est universalis, distingui oportet, utrum is in Præmissa continente sumatur pro tota sua extensione, an pro ejus parte duntaxat.

Si medium in Continente sumatur, pro tota sua extensione; sufficit, ut Propositio applicans ostendat, alterum Extremum (in ea latitudine quam hoc in Conclusione obtinet) contineri sub extensione Medii: ut in hoc exemplo,

*Debemus fugere omne peccatum;*

*Omne mendacium est peccatum:*

*Er. Debemus fugere omne mendacium.*

at si sumatur Medium in Continente, pro parte tantum sua extensionis; requiritur, ut Præmissa applicans ostendat, alterum Extremum contineri in Comprehensione Medii; id est, omnibus ejus objectis convenire: ut in hoc,

*Persæ adorarunt aliquod Astrum;*

*Omne Astrum est res inanima:*

*Er. Persæ adorarunt aliquam rem inanimam.* latius quippe hic sumitur Comprehensionis nomen, quam suprà n. 7. Hujus autem generalis Regulæ usum & applicationem specialius indicare, est alterius loci (d).

(d.) Patet interim, ut rectè applicetur prædicta Regula, omnino distingui debere in quoque Término, qui

## § VII. De Syllogismis Conjunctivis.

162 Constat interim, prædictæ Regulæ beneficio, discerni posse, legitimam, vel illegitimam, consequentiam cuiuslibet Syllogismi, cuius omnes Termini (sive in recto, sive in obliquo (*e*) efferantur) satis liquidò se produnt. Sæpe autem contingit, unum vel alterum Terminum, aut prorsus reticeri, aut in aliqua particula involutum latere : Quod præcipue accidit in istis Syllogismis, qui vocantur vulgo *Conjunctivi*; quorum sc. Major, est *Conditionalis*, *Disjungens*, vel *Copulans negata*; Minor autem, & Conclusio, sunt absolutæ. Conditionalium dux sunt

164 formæ : Vel enim Minor absolute ponit Antecedens, ut Conclusio absolute inferat Consequens ; ut in hōc,

*Si Deus est, Mundus regitur providentia;*  
*Sed Deus est :*

*Er. Mundus regitur providentia.*

165 vel Minor absolute tollit Consequens, id est, ei contradicit ; ut Conclusio absolute inferat Contradictionem Antecedentis ; ut in hōc,

*Si*

qui (sive in recto, sive in obliquo) ullam Syllogismi Propositionem ingreditur, utrum is in eā universaliter, an particulariter accipiatur : quā de re in genere pronunciari potest ; Universaliter sumi Terminum, qui notarum distributionis aut nagationis (expresiarum aut intellectuarum) imparē numero afficitur ; particulariter, qui easundem partē afficitur numero.

(*e*) Hūc pertinent complures Syllogismi, habentes Premissas Modales, Relativas, &c.

*Si mendaces sint vere sapientes, sunt laudandi ;*

*Sed mendaces non sunt laudandi :*

*Er. Mendaces non sunt vere sapientes.*

Quòd si in his & similibus, major hypothetica reducatur ad Formam categoricam, juxta methodum, n. 84. & seq. præscriptam ; facile patebit, minus Extremum, tum in Minore, tum in Conclusione reticeri ; quo suppleto, Syllogismus hypotheticus prioris formæ, facile 166 reducitur ad primam Figuram categoriæ corum, & quidem ad Modum BARBARA. Hoc pacto,

*Omnis Casus, qui ponit Deum existere,*

*ponit mundum regi providentia ;*

*Sed præsens (vel omnis possibilis) casus,*

*ponit Deum existere :*

*Er. Præsens (vel omnis possibilis) casus, ponit mundum regi providentia.*

Syllogismus verò hypotheticus posterioris 167 Formæ, non minus naturaliter, ad secundam Figuram categoricorum, ejusque modum CAMESTRÈS ; ut,

*Omnis casus, qui ponit mendaces esse vere sapientes, ponit eos esse laudandos ;*

*Sed præsens casus non ponit (vel nullus casus possibilis ponit) mendacos esse laudandos :*

*Er. Præsens casus non ponit (vel nullus possibilis casus ponit) mendacos esse vere sapientes.*

Syllogismus verò Disjungens, qui procedit a 168 Remotione unius membrorum disjunctim propositorum, ad positionem alterius ; ut,

*Vel*

*Vel est dies, vel nox;*  
*Sed non est nox;*  
*Ergo est dies.*

sponte resolvitur in hypotheticum, si Major disjungens vertatur in hypotheticam, asserentem unum membrum sequi ex negatione alterius; ut n. 84. & seq. explicuimus.

169 Nec minus facile, Syllogismus procedens ex copulante negata, qui arguit a positione unius membra, ad remotionem alterius; ut,

*Non est & nox, & dies;*  
*Sed est dies;*  
*Ergo non est nox.*

reducitur ad hypotheticum, si Major imbutetur in Propositionem hypotheticam asserentem, ex uno membro sequi Negationem alterius; ut dicto etiam loco tradidimus.

### § VIII. De Sorite.

170 Hactenus supposuimus, unum esse Medium, quod cum utroque duorum Extremorum, in totidem Præmissis, comparatur. Sed nihil vetat, duo, vel plura, esse Media; modo unum Extremum conferatur cum uno Medio, hoc cum secundo, istud cum tertio, atque ita deinceps, donec ad alterum Extremum devinatur; ita ut numerus Præmissarum, semper unitate excedat, numerum Mediorum; servatis etiam Regulis supra traditis, de qualitate Propositionum, & extensione Terminorum: Complexa autem hujusmodi Argumentatio, dicitur vulgo *Sorites*: Ex. gr.

Omnis

*Omnis substantia simplex est sua natura immortalis;*

*Omnis substantia cogitans est substantia simplex;*

*Mens humana est substantia cogitans;*

*Er. Mens humana est sua natura immortalis.*

In Sorite, exdem Régulæ (ut modo infinu- 172  
avimus) locum habent, quæ in simplice Syl-  
logismo, sed paulò generalius conceptæ :  
Quippe Conclusio affirmans, ex omnibus  
Præmissis affirmantibus : negans verò ex una  
sola negante, & reliquis omnibus affirmanti-  
bus, inferenda est : præterea unumquodque  
Medium (quantuscunque sit mediorum nu-  
merus) saltem semel, sumi debet in tota sua  
lætitudine ; nec ullus Terminus Conclusionis,  
in hâc latiùs accipiendus est, quam in præmis-  
sis. Si denique Sorites proponatur in forma  
obliqua, ut per generalem Regulam, n. 157.  
traditam, examinari debeat ; assumenda est  
pro *Continente*, una aliqua præmissa, quæ ad  
Conclusionis formam proximè accedit ; & re-  
liquæ, tanquam ostendentes sive applicantes,  
habendæ sunt : Quomodo autem cæteræ Syl-  
logismorum Regulæ, ut & Figurarum & Mo-  
dorum discrimina, Soritæ applicari possint,  
non est hujus loci docere (f).

Hic

(f) Suo tamen loco ostendi potest, easdem Figuras,  
eisdem Modos, & easdem, leviter tantum mutatas,  
generales Regulas quantitatis, & speciales singularium  
Figurarum, in Sorite, ac in simplice Syllogismo, lo-  
cum habere : tantum in quartâ Figurâ, præter quin-

que

173 Hic solum addimus, quoties unica Argumentatione, ex ipsis principiis (sive propositionibus per se notis) colligimus habitudinem duarum Idearum, quarum utriusque ad eamdem tertiam habitudo, immediatè cognosci 174 non potest, Sorite nos uti. Cum verò angustæ adeo capacitatis sit humana mens, ut ægrè possit, unico quasi oculi ictu, multas multorum Mediorum combinationes intueri ; retiùs plerumque suæ infirmitati consultit, ex binis quibusque Præmissis Conclusionem aliquam deducendo : Atque hanc rursus Conclusionem (utpote quam sat's ante probatam novit) æque ac si esset Propositio suo lumine nota, adhibendo ut Præmissam, ex quâ, cum alicujus alterius subsidio, nova Conclusio inferatur ; atque ita deinceps progrediendo, quo usque res postulat : quo pacto, quod unico Sorite compendiosrùs præstari posset ; tardius quidem, sed simul clariùs ac distinctiùs efficitur, tot Syllogismis, quot sunt medii Termini in Sorite.

#### § IX. *De imperfectis argumentandi Formis.*

Quòd si, in proferendo Syllogismo, Sorite, vel forte plurium subordinatorum Syllogismorum serie, una vel altera Propositio, tanquam ab audientibus facile supplenda, reticeatur ; usurpari dicitur, *imperfecta argumentandi Formula*, specialiùs, si simplicis Syllogismi,

---

que mox q[uo]d Syllogismus etiam ibi admittit, Sorites admittere alios sex, omnes particulariter & negativè concludentes.

gōmī, altera Præmissa supprimatur, dicitur  
Enthymema: ut,

*Deus est Independens;* 176  
*Ergo est Aeternus.*

Si vero alicuius Syllogismi, alteri vel utri- 177  
que Præmissæ, subjiciatur Enthymematica e-  
ius Probatio; i. e. altera Præmissa novi Syl-  
logismi, dictam principalis Syllogismi Præ-  
missam concludentis; appellatur *Epichirema:*  
ut,

*Omnis Res cogitativa est immaterialis,*  
*quia est partium expers;*  
*Sed Mens humana est Res cogitativa,*  
*cum experiatur se actu cogitare:*  
*Mens humana est immaterialis.*

Atque ad alterum horum duorum, Enthy- 178  
mema, dico, vel Epichirema, referri debent  
omnes vulgo receptæ, imperfectæ Argumenta-  
tandi Formulæ, (g) præter Soriten, qui im-  
perfectis perperam accensetur.

#### § X. De Syllogismo ratione Materiæ con- siderato.

Argumentatio quælibet perfecta (quales,  
in mente, omnes videntur esse) secundum  
Regulas suprà positas constructa; si veris ini-  
nitatur Præmissis, veram infert Conclusionem;  
si certis, certam; & hæc dicitur *Demonstratio.* 179  
Certa autem notitia istius, quæ in Conclusione  
infertur, extremarum Idearum habitudinis

(g) Inductio enim & Exemplum sunt certæ species  
Enthymematicæ; ut Dilemma Epichirematum. Verum  
hæc temp̄stivè satis in ampliore aliquo Tractatu dis-  
cent Studiosi.

(sive habeatur in ipso concludendi actu, qui a distinctius perspecta Præmissarum veritate, evidentiam, ac certitudinem suam, proxime mutuatur ; sive in actu subsequenti, qui prius institutæ demonstrationis, generaliori innitiatur Recordationi) dici solet *Scientia*.

181 Si vero vel una Præmissarum, quibus Argumentatio nititur, sit incerta ; dubia quoque & incerta (quatenus ex ipsis Præmissis fluit) deducitur Conclusio : Quæ mentis sententia (sive in ipso concludendi actu, specialiore Præmissarum intuitu, lata ; sive, prius formati ratiocinii fiducia, repetita) dicitur *Opinio*.

182 Si denique ulla Præmissarum sit falsa ; nihil ea, supposita ut talis, momenti confert, ad Conclusionis veritatem suadendam : Quan-  
183 vis aliquando contingat, Conclusionem, quæ ex falsis Præmissis deducitur, esse veram ; ut illam pariter, quæ ex incertis Præmissis inferatur, esse aliunde certam.

184 185 Syllogismus vero, qui Regulis supra traditis non est conformis, dicitur *Paralogismus* ; quamvis hoc nomen, ipsis præcipue tribui soleat, in quibus Formæ vitium est manifestum ; cum alii Paralogismi, in quibus vitium Formæ, fallace aliquo, ambiguarum vocum, aut Phrasium, involucro, obtegitur, specialiore nomine, appellari soleant *Sophismata*.

## C A P U T I V.

*De Methodo, & Praxi Logica.*§. I. *De generalioribus Methodi Legibus.*

**A**D Verum feliciter investigandum, aut aliis exponendum, præter id quod in singulis Actibus, scorsim sumptis, debet spēctari; requiritur, ut illi debito inter se ordine disponantur. Ne igitur ulla essentiali Logicæ parte, destitui videatur hocce Compendium; tres sequentes generales Methodi Leges (specialiore singularum Methodorum, Regularumque ad eas pertinentium, explicatione, ad alium locum remissa) hic visum est subjungere.

I. *In singulis Ratiociniorum nostrorum,* <sup>188</sup> dum Scientias consecutamur, gradibus, conservanda est evidētia: hoc est, nihil pro vero admittendum, quod non evidenter constat esse tale.

II. *De Rebus ulterius ratiocinandum* <sup>189</sup> non est, quam quatenus earum determinatae Ideæ menti observantur.

III. *A simplicioribus semper, & facilitioribus,* <sup>190</sup> est incipiendum; iisque, ut familiaria fiant, aliquamdiu inherendum; priusquam ad difficiliora, & complexiora, fiat progressus.

§ II. *De Praxi Logica; & primo de Translatione Thematis simplicis.*

Præcipua quidem Logicæ Praxis, est sedula

191 & accurata Veri investigatio ; circa quam diligendam, ejusque impedimenta removenda, tota ferè ea disciplina versari debet. Cum verò sub *Praxeos Logice* nomine inculcari vulgò soleant præcepta de Exercitiis quibusdam ad veritatis declarationem pertinentibus, quæ juventuti Academicæ haud inutiliter commendari consueverunt ; istorum Præceptorum præcipua quædam ac utilissima, hic subjungenda duximus.

192 Præcepta quæ diximus, ad duas Classes reducunt Logici : Alia sc. ad *Genesin*, alia ad *Analyzin* referunt. *Genesis* iis definitur, *Modus utendi instrumentis Logicis*, quo quis ipse *Discursum aliquem*, de *Themate aliquo* format ac producit. *Thema autem* iisdem 193 dicitur, *Quocunque intellectui cognoscendum proponi potest*, & distinguitur in *Simplex* & *Complexum*.

195 *Thema simplex* dicitur, *Terminus*, sive *Complexus*, sive *Incomplexus* ; vel potius, *res ipsa*, quatenus per *Ideam* aliquam nude representatur, & una vel pluribus vocibus, *Ideam istam* notantibus, significatur.

196 *Thema Complexum*, est *Propositio* qualibet ; vel potius, *ipsa rei veritas*, quatenus affirmandi vel negandi actum potest terminare, & *Enunciationis*, vel saltem *Interrogationis* *Forma* exprimitur.

200 In *Themate simplice* tractando sequentes Regulae observari debent.

197 I. *Ipsius* *vocis*, sub quâ *Thema* proponitur, indi-

indicanda est origo, si quā occurrat non nimis longè petita ; diversæ significationes, si quas admittat, sunt distinguendæ ; & quæ alia ad præsentem ejus significationem accuratè determinandam prævia requiruntur, sunt notanda : Atque hoc idem de singulis vocibus, si sub plurium Periphraſi Thema proponatur, est intelligendum.

II. Propositi Termini præsens significatio, 198 atque adeo ipsius rei effentia, saltem nominalis, est per luculentam definitionem expli- banda.

III. Attributa secundaria, siqua fint, ex 199 essentiali conceptu, clara & evidenti Consequentia sunt deducenda.

IV. Consideranda sunt Attributa acciden- 200 tialia, siquadato Thematici possint competere ; atque ostendendum, quibus, eorum respectu, Mutationibus obnoxium sit.

V. Thematicis origo est investiganda, & si 201 res creata fit, indicandum quomodo producatur.

VI. Ejusdem interitus est perpendendus ; 202 id est, considerandum, an omnino fit peritum, & si corruptibile deprehendatur, a quo & quibus Mediis.

VII. Observandæ sunt ejus Relationes, & 203 Respectus ad alia.

VIII. Si Thema ex partibus componatur, 204 hæ sunt examinandæ, & inquirendum qua ratione in hoc Composito uniantur.

IX. Denique si Terminus propositus fit u- 205 niversalis ; ejus inferiora, præsertim imme- diata, sunt recensenda.

§ III. *De Tractatione Thematis complexi solitaria, sive de Exegeſi.*

Quòd si Thēma complexum proponatur tractandum; hujus discussio, vel sola unius 206 Oratione perficitur, & dicitur *Exegeſis*; vel duorum aut plurium Disceptatione, & appellatur *Disputatio*.

207 *Exegeſeos* tres sunt præcipue atque essentiales partes. Prima dicitur *Parætōneūm*, sive *Præparatio ad Quæſtionem* tractandam; cuius Regulæ sunt, quæ sequuntur.

208 I. Quæſtionis Termini sunt distinctè explicandi, si modò ulli significationis ambiguitati sint obnoxii.

209 II. Hinc Quæſtionis status, est perspicue, ac dilucidè, stabiliendus.

210 III. Variæ Auctorum sententiæ, breviter, ac fideliter, sunt exponendæ.

211 Secunda Pars, dicitur *Katætōneūm*, sive *Confirmatio veritatis*; cuius hæ sunt Regulæ.

212 I. Véra sententia est amplectenda, & argumentis stabilienda.

213 II. Argumentorum pondere, potius quam numero, est pugnandum; nec ulla ratio est adferenda, quæ solidam vim ac momentum non habet.

214 III. Obviam eundum est Adversariorum exceptionibus, si quas adferant, ad rationum a nobis adhibitarum, vim eludendam.

215 IV. Præclara tandem magnorum Auctorum testimonia, siqua occurrant, ad sententiam nostram

nostram ulterius confirmandum; sunt adducenda.

Tertia Pars, est *Anatomia*, sive *Objectionum* 216  
*Solutio*; cujus hæ sunt Regulæ.

I. Adversariorum Argumenta, sincerè sunt 217  
repetenda; atque ita, ut eorum robori nihil  
detrectetur.

II. Ea solidè ac perspicuè sunt refellenda, 218  
& difficultates quæ in iis continentur, dilu-  
cidè solvendæ; non tantum, quod falso alle-  
gatur, negando; sed justam quoque negatio-  
nis rationem addendo.

III. Contraria magnorum virorum testi- 219  
monia, sunt pensitanda; & cum veritate  
prius stabilita, si fieri possit, concilianda; si  
fecus, modestè rejicienda.

Omnibus hisce, Proœmii loco præmitti po-  
test, *Πρωταρασκευη*, de Quæstionis momento, & 220  
occasione: sicut omnibus etiam prædictis  
partibus, Coronidis loco, subnecti potest  
*Επισκοπευη*, paucis complectens summam totius 221  
Dissertationis, unà cum Corollariis inde flu-  
entibus.

Enimvero, ad Thema quodlibet, sive Sim-  
plex, sive Complexum, rectè tractandum,  
nullæ Regulæ æquè nos dirigunt, ac Judicium  
bene formatum, & accurata, rei de quâ agi-  
tur, Cognitio: Methodus enim, diversis re-  
rum conditionibus est accommodanda; non  
res, ad rigidiiores Methodi Leges, obtorto  
quasi collo, inflectendæ. Thema igitur quod-  
libet

libet propositum, nemo concinnius enucleat  
verit, quam qui id ipsum probe perspectum  
habens, omnium Regularum loco, hanc unam  
sibi sedulò observandam proposuerit; ea scilicet  
quæ apud se serio attendens, expertus est,  
simpliciter enarrare, ex mentis dispositiohe,  
erga alios benevolè, & Veritatis, ad DEI  
gloriam, manifestanda cupida.

#### § IV. De Thematis Complexi Tractatione sive de Disputatione.

223 Consideranda sequitur Disputatio; cuius  
Leges, vel spectant materiam, vel formam  
Disputationis. Prioris generis sunt haec tres.

224 I. Materia Disputationis debet esse utilis,  
& gravis; circa quam verum cognoscere ope-  
ræ pretium fuerit.

225 II. Debet etiam esse, Disputantium captui,  
conditioni, & studiis, accommodata.

226 III. Debet esse talis, ut citra Absurdita-  
tem, vel Impietatem, de eâ disputari possit.

Quod ad Formam; Cum ad Disputationem  
solennem, recte instituendam, tres re-  
quirantur Personæ, sc. Opponens, Respondens,  
& Preses; Quædam sunt Regulæ, omnibus  
communes, quædam singulis peculiæres.

Regulæ omnibus observandæ, sunt haec.

228 I. Nemo Disputationibus vanam gloriam  
captare studeat, sed ingenuo Animi candore,  
singuli Veritatem scrutentur.

229 II. Controversiæ statutæ distinctè propona-  
tur;

tur ; & per integrum disputationem, firmiter animo teneatur.

III. Utile est, ut Disputantes inter se con- 230  
veniant, de quibusdam principiis, in quibus  
Argumenta fundentur (g).

IV. Patienter alter alterum expectet, us- 231  
quedum orationem absolvat.

V. Brevitati & Perspicuitati, imprimis est 232  
studendum ; quocirca inutiles ambages, &  
digressiones, vitandae sunt.

VI. Ab omni convitio, seu contumelia, 233  
utrinque abstineatur.

VII. Nemo ullam vocem, aut Phrasin, ad- 234  
hibeat, vel ab alio adhibitam admittat, sine  
interpretatione ; de cuius praesente significa-  
tione, Disputantibus forte non satis conve-  
nit (h).

Regulae OppONENTI peculiares, haec sunt.

I. Theseas sensus, est accurate examinan- 235  
dus.

## I

## II. Ar-

(g) In solenibus tamen Disputationibus, Principia  
non prius solent adduci, quam ad eorum usum acce-  
dit Opponens.

(h) Nemo igitur, aut Vocabulorum, quibus utitur  
Adversarius, explicationem poscere erubescat ; aut a  
se adhibita, interpretari designetur : donec ad ista  
Vocabula deuentum fuerit, de quorum significatione,  
nemo satis ingenuus atque candidus, dubitationem  
prius se ferre potuerit. Nec sufficit hic allegare. Voca-  
bula, quae usurpantur (quod quidem ignorantiae, &  
societatis, vulgare est perfugium) esse communis usus  
recepti. & Philosophis notissima, cum plerisque  
Scholasticorum Technologematisibus, nulla verba pos-  
sint esse magis ambigua, aut ad claras distinctasque  
Ideas, in mente excitandas, minus idonea.

- 236 I I. Argumentum primo propositum, Thesi  
expresse contradicat (*i*).  
 237 III. Propositio, a Respondente negata, sit  
Conclusio Argumenti proxime sequentis.  
 238 IV. Argumentum, quantum fieri potest,  
perspicue, & in formâ Syllogisticâ (imprimis  
inter Tirones, in solennibus Disputationibus)  
proponatur.  
 239 V. Quamprimum data fuerit Responsio  
solida, Argumenti vim tollens ; ulterius non  
est altercandum.

Regulæ a Respondente observandæ, sunt hæ.

- 240 I. Opponentis Argumentum integrum (præ-  
misso, honoris vel benevolentia, titulo) fide-  
liter est repetendum ; & denuò recitandum,  
usquedum prolata fuerit Propositio, cui assig-  
nanda est Responsio.  
 241 II. Dum repetitur Argumentum, conside-  
randum est si primum fuerit, num Thesi con-  
tradicit ; vel si primum non fuerit ; num  
Propositionem negatam probet : quæ si con-  
tigerit Opponentem non præstare, committi  
dicitur *Ignorantia Elenchi*.  
 242 III. Si Argumentum Thesi contradicat,  
vel Propositionem novissimè negatam conclu-  
dat ; examinanda est ejus Forma ; quæ, si  
bona non sit, Vitium est ostendendum.

#### IV. Si

---

(*i*) E Scholis omnino explodendæ sunt, ridiculæ  
istæ ambages, quibus utuntur nonnulli, qui tertio  
deum, vel quarto Argumento, ad Theseos Contra-  
dictionem deveniunt ; a quâ debuerant incepisse.

IV. Si concludat, quod oportebat, & forma <sup>243</sup> sit bona ; Propositio falsa, est neganda ; vel ambigua, distinguenda.

V. Si nihil horum appareat ; sed contrà <sup>244</sup> innotescat, Argumentum esse demonstrati- vum ; Veritas ingenuè est agnoscenda.

Quod ad Præsidem attinet, hic, vel solùm ad *Euræus* servandam, vel etiam ad suppetias Respondentì ferundas, intervenit. Prioris <sup>245</sup> generis Præfidi, nihil aliud incumbit, quam Disputantes monere, ut prædictas obseruent Regulas ; eosdemque, si a scopo devient, ad regularem Disputationis formam revocare. Posterioris verò generis Præses, præter Offici- um modò dictum, quod ei cum priore est commune ; debet etiam, quoties Respondens hac in parte deficit, difficultatem propositam solvere, & Theseos Veritatem defendere ; ita tamen, ut, quid Respondens per se valeat, experiatur ; eumque magis ad veram Argumen- ti solutionem, gradatim perducat ; quam, to- tum negotium in se recipiendo, illum de Dis- putationis eventu securum reddat.

### § V. De Analyſi.

Altera pars Præxeos Logicæ, est *Analysis* ; quæ definitur, *Modus utendi Instrumentis Logicis*, quo *Discursum prius formatum & productum, resolvimus in Principia*, ex quibus *formatus est atque productus*. Inser- vit autem præcipue ad aliorum scripta intelli- I. 2 genda 5

genda; quibus cum longe maximam Cognitionis nostræ partem debeamus, eo magis utiliis, atque necessaria, merito censetur Analyseus cognitio.

248 Prima autem nostra cura esse debet, ut genuinum Auctoris sensum assequamur; cui fini, media nonnulla sunt adhibenda, quibus in sensu ambiguo, vel obscurō, intelligendō, dirigamur: Hæc sunt vel *externa*, vel *internā*.

Media exētra, ad Orationis sensum inveniendum, sunt hæc.

250 1. Considerandum est, quis loquatur; si guli enim sermones suos, conditioni, ingenio, ac studio proprio, plerumque accommodant.

251 2. Observandum, quæ de re sermo instituitur: Verba enim sunt intelligenda, secundum materiam subjectam.

252 3. Advertendum, quo quis sine & proposito loquatur: plerumque enim alios ita alloqui conamur, ut apud eos, voti compotes flamus.

253 4. Notandum, ad quos loquatur: alios enim ita alloqui tenemur, ut ab iis intelligi possimus.

254 5. Perpendendum, qua occasione, num sc. ex instituto, an vero ex accidente & obiter tantum, fiat sermo.

255 6. Denique, Antecedentium, Consequentium, & Locorum parallelorum, ratio est habenda: Auctor enim ita loqui est presumetudo, ut sibi ipse constet; & loci obscurioros, ex clarioribus, eodem pertinentibus, plerumque lucem mutuantur.

Media

Media interna sunt, quæ ipsam Orationem  
in se spectatam respiciunt: In quā, singularum  
vocabulorum significaciones, interpretantur *Lexicas*; 256  
*Constructionem*, ejusque vim, indicat *Gram- 257*  
*matica*; & figuratas loquendi *Formulas*,  
*Rhetorica*. Cum vero, in integræ Orationis 258  
genuino sensu capiendo, non raro occurrant  
difficultates, quæ nullo istorum subsidiiorum  
atmoveri possunt; ad has superandas, præci-  
pue condudit sedula attentio ad rem de quæ 259  
agitatur, & prævia, si non ipsius doctrinæ quæ  
traditur, saltem principiorum quibus inniti-  
tur (& que in ipso Tractatu supponuntur,  
magis quam ponuntur) Intelligentia.

Scripti, cujus aggredimur resolutionem,  
sensa probè intellecto; ipsi Analyse, hæc ferè  
præliminaria solent præmitti.

I. Indicatio Argumenti, seu Thematis, 260  
de quo agitur.

II. Auctoris, & Occasionis scribendi. 261

III. Nonnihil de ipsius scripti utilitate, 262  
dignitate, aut jucunditate; ita tamen, ut sem-  
ipex intra veritatis cancellos nosmet continea-  
mus.

Analysis, vel est unius Propositionis, quæ 263  
in suum Subjectum & Prædicatum est resol-  
venda; vel integræ Orationis; in quâ dispe- 264  
canda, sive in ea simplex Thema, sive Com-  
plexum, tractetur, idem ordo est observandus,  
quem secutus est Auctor in scribendo. Quip-  
pe, si Oratio constet omnibus, vel aliquibus,  
earum partium, quas Tractationi Thematis,  
sunt seu

seu simplicis, seu complexi, suprà assignavimus ; istæ partes sunt sigillatim notandæ, atque indicandæ. Si a vulgaribus Methodi Legibus Auctor recesserit ; istiusmodi quoque recessus sunt indicandi ; & prout mereri videntur, ad imitationem, vel cautelam, proponendi. Uno verbo, Tractatus sensus ingenue, sine dolo aut fraude, est declarandus, & ea quæ imprimis ad rem faciunt, a digressiōnibus distinguendo, Cogitationum series, & Connexio cum fine proposito, quam dilucide fieri potest, ostendenda est.

268 Analyſi quandoque subjiciuntur Porismata, five Conſectaria, quæ ex doctrina ſuperiùs explicata deducuntur : de quibus tamen ca-vendum eſt, ut eorum conſequentia fit eviden-tiſſima. Id certè foret iniquiſſimum, Auctori cuipiam Concluſionem affigere tanquam fu-am, de qua, num a doctrinâ a fe traditâ con-sequatur, vel ipſe Auctor poſſit litem movere.


*F I N I S.*



*Ex Libris*

*Ioannis Dabziel.*

*February 18<sup>th</sup> 1773.*



John Dalziel John Dalziel  
John  
12345 789 John Dalziel

John Dalziel

~~1746~~ 1746

E Libris

John Dalziel

G. T. G.

Jer. Anatomica preceamentata  
Individualis  
Species  
Genus  
Civium  
Corpus  
En.

• Vincet Dabelli  
and Cervini



